

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0001-0

Pd. 42.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0002-6

DIE 8. MARTII ANNO MDCCLXXVI.
Horâ 9nâ
IN AUDITORIO JURIDICO COLLEGII Ss. TRINITATIS.

# EXERCITIUM JURIDICUM

## TENTAMINI PRO GRADIBUS PRÆMITTENDUM

PROPOSITIS EX VARIO JURE THESIBUS,
AC PRÆMISSA RESOLUTIONE
OCTO QUÆSTIONUM,
SUPER TRIUM COLORUM INDICTIONIBUS
ANTIQUISSIMÆ TABULÆ MP ET STÆ
2. Decembris an. 1774 ibid. propoſitarum,
NEC NON
ALIIS INSTRUCTIONIBUS DE NOTIS TEMPORUM ANTIQUIS IN ADMINICULUM ARTIS DIPLOMATICÆ,
QUOD
PRÆSIDE ME

## GEORGIO CHRISTOPH. NELLER

J. U. D. ad Ss. Theolog. Doctoratum admiſſo, Ss. Canonum Profeſſore ordinario, Facultatis juridicæ Seniore, inſignis Eccleſiæ collegiatæ ad S. SIMEONEM Canonico inter presbyteros capitulari, & Bibliothecario, Rmi & Srmi Domini Archiepiſcopi Trevir. S. R. I. Principis Electoris Conſiliario intimo, & Examinatore ſynodali &c.

SUBIBIT

*Nobilis, Ornatiſſimus, ac perquàm Eruditus*

D. CHRISTOPHORUS HAW, Trevir, AA. LL. & Philoſ. Magiſter, prædictorum jurium in tertio anno conſtitutus Auditor.

---

*Auguſtæ Trevirorum*, typis ESCHERMANNIANIS.

## OPPUGNANTES.

Perillustris ac Generosus Domicellus, ANTONIUS L. B. de EYSELSBERG, Sereniſſimi ad Aulam Auguſtanam Ephebus.

D. ANTONIUS FRANCISCUS WILLEMS, Trevir., AA. LL. & Philoſ. primus Magiſter.

D. MATHIAS PELTZER, Borcetanus.

Jurium Auditores.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0004-7

*REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,*

DOMINO

# CLEMENTI WENCESLAO,

DEI GRATIA

SANCTÆ SEDIS TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPO,

S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

PER GALLIAM ET REGNUM ARELATENSE ARCHICANCELLARIO, EPISCOPO AUGUSTANO, COADJUTORI ELWACENSI, ADMINISTRATORI PRUMIENSI PERPETUO,

PRINCIPI REGIO POLONIÆ ET LITHUANIÆ, DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMITI PRINCIPATO HENNEBERGICO, COMITI MARCHIÆ, RAVENSBERGÆ, BARBII, ET HANOVIÆ, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0005-3

# REVERENDISSIME ARCHI-EPISCOPE, SERENISSIME

# S. R. I. PRINCEPS ELECTOR,

## DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

*Ignoſce, Serme Princeps Elector, ſi oculos ad majores curas ſacræ profanæque Reipublicæ ſemper intentos hiſce pagellis clementiſſimè inclinari, orem. Neque enim Sublimitatem Tuam in culmine Sacerdotii juxta & Principatus ita collocatam intueor, ut vaſti animi immenſitatem, quo maxima & ſumma contines, indulgere ſe humilibus, quandoque & minimis, non delectaret. Nam cùm per id tempus, quo Treviros adventu huc Tuo tertiùm moràque bimeſtri illuſtrabas, ego meique omnes*

*nes*

nes mecum Petri amantiſſimi Patrui plusquam octogenarii, Electoralis Cameræ Conſiliarii, & Wittgenſteinenſis Noviomagi Satrapæ, pii alumnorum curæ animarum applicandorum de ſua familia, hisque deficientibus pauperum aliorum fundatoris, obitum in hac urbe communi luctu proſequeremur, Tua incredibilis benignitas & Dignitatis propemodum oblivio effecit, ut diem, quem ſanguinis & naturæ ſenſus quotannis acerbum nobis eſſe juſſerat, nunc honoratum perpetuo, & inauditi hactenus facti memoriâ feſtivum jure habeamus; Tu quippe Seminarii Tibi dilectiſſimi, ad normam S. Concilii Tridentini curis Tuis erecti, & vel ideo

Cle-

Clementini *nuncupati zelotes, prædicto Seni, quia numerum Clericorum pro bono Patriæ nobili legato auxit, motu proprio clementiſſimo ſepulturam in choro Templi Ss. Trinitatis, quod paucos poſt annos dictæ Cleri junioris Scholæ inſerviet, donâſti, honorem, qui nemini hactenus ea in Baſilica datus fuerat: Tu benefactori ab alumnis ſolennes exequias cantari juſſiſti: quin & cum Regia Sorore, amatâ Treviris* CUNIGUNDE, *æviternæ memoriæ Principe piiſſima, utriusque Aulæ comitatu ſequente, funebri Sacro aſſiſtere dignatus es, ad totius quidem urbis ſtuporem, amicorum verò defuncti intimam conſolationem.*

*Quo*

*Quocirca, ſi recens à Te collatæ in Trevirenſem Univerſitatem gratiæ & emolumenta perpetua, ædificii novi pulcherrimi donum, hyberni contra frigus ligni munifica largitio, Luminis à Sereniſſima Præſentia Tua ſplendor academicis hiſce laribus, & Doctorum, nunc diſputantium, nunc honores academicos impertientium conſeſſui repetitis vicibus indultus, ſi aula ornatu ſuperba, Bibliotheca inſtructiſſima, prompta accedentibus librorum ſubminiſtratio, horum commodus ad focum uſus, conclave pro conventionibus conſcriptorum Patrum elegans, ſi, inquam, hæc aliáque Tuæ accurationis munera ita inhæreant animis omnium jucundiſſima*

*recor-*

*recordatione, ut nunquam obliviſci* CLEMENTIS WENCESLAI, *ſui benefactoris maximi, poſſint; quid denique ad grati animi teſtimonium ſatis afferam ego, qui ſic communibus illis beneficiis gaudeo, ut ſingularibus omnes antecedam?*

*Patere igitur,* SER^ME PRINCEPS, *ut nova, qua me iterum prævertis, gratia abutar quodammodo, ſi veniam Theſes haſce inſcribendi sereniſſimo Nomini Tuo illuc impendam, ut & ſpecimen poſitæ ſub auſpiciis clementiſſimis in Jurisprudentia operæ, & homagium ſervitutis perpetuæ ad nutum Serenitatis Tuæ hoc*

*monu-*

*monumento teſtatum velim, profundiſſima genuum flexione, & glorioſiſſimi Nominis Tui adoratione perennaturus*

*REVERENDISSIMÆ SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS*

*Servus humillimus & obſequentiſſimus*
*CHRISTOPHORUS HAW.*

# PARS I.

## *PRÆAMBULA QUORUNDAM VERBORUM ET RERUM EXPLICATIO.*

### §. I.

*Anni* expanſi, & compacti.

1. Annos *expanſos* chronologi illos vocant, qui ſe conſequuntur nullo intermedio anno omiſſo: tales ſunt 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & ſic porrò. Si verò, deſtinato quodam annorum numero omiſſo, annum ex anno ponas, hi vocantur *compacti*, ſive *collecti* anni, e. g. ſi ponas 18. 37. 56.

2. In Tabulâ hac columnæ utrimque duæ *annos* Chriſti nati exhibent *compactos*; nam annus, præcedentem proximè conſequens, reſultat, ſi illi addideris 19, annos nempè *lunaris cycli* vel *decemnovalis*.

3. Columna 1ma incipit ab an. Chr. nati 18, *juxtam æram vulgarem*: finitur infra, anno 531: & nihilominùs *primus* qui vocatur *cyclus magnus* habet 532. annos; quia DOMINUS in 2*do* ejusdem anno juxta computum *Dionyſianum* natus eſt.

4. *Secundus cyclus magnus* in extimâ columnâ tuæ ſiniſtræ incipit ab anno Chriſti 532, qui absque intervallo 19. annorum ponitur immediatè poſt annum 531. Ab anno igitur 532. ibi deſcendis per an. 551. & reliquos usque in annum 1045, adjectis ad eum annum, qui præcedit, ſemper 19, ut *proximus* annus *compactus* reſultet. Sic pariter

5. Anno 1045 adde 19, & habebis annum Chriſti 1064, qui eſt ſupremus *tertii cycli magni*, ſive *columnæ* à tuâ ſiniſtrâ *2dæ*, quæ infra in anno 1577. deſinit.

6. Huic anno 1577, usque ad annum 1595 perducto, adjice 19, & obtinebis annum 1614.* in 2dâ extimâ columnâ tuæ dexteræ, quæ ſiſtit *quartum cyclum magnum*, à me ultra conſuetas veterum tabulas adjectum; quia modò in eo volvimur.

* In nuperâ Tabulâ pro capite cycli magni quarti poſui annum 1615, ut complerentur quatuor cycli magni, ſinguli per 532. annos: nunc autem præplacuit ſervare additionem 19. annorum ad an. 1595; & ſic ejus cycli infimus annus eſt 2127.

7. Continet verò etiam Tabula hæc *expanſos* Chriſti annos; licet hi non ſignentur cifris, ſed lectoris menti & ori committantur. Sic e. g. in ſupremæ lineæ currentis quadro 2do, ubi ſunt *Concurrentes V & duæ ſtellulæ*, puta annum Chr. 1, in 3tio 2, in 4to 3, & ſic de lineâ in lineam deſcendendo in fine numerabis annos 531, quibus addes quadrum primum lineæ ſupremæ, ut fiant 532. Hunc 532dum annum incipe in primo quadro ſummæ lineæ, quæ eſt ad ſiniſtram tuam: numera in 2do annum 533, in ultimo verſùs dextram tuam 550; in primo lineæ ſecundæ habebis annum compactum 551: ſic porrò operare, donec in baſi illius columnæ tenueris annum 1045, quem numeras in primo quadro lineæ currentis infimæ, & in ipſius quadro extremo annum 1063. Abhinc iterum in quadro primo ſupremæ lineæ annum 1966, &c, ut in primo lineæ 2dæ quadro teneas annum 1083, & in primo lineæ infimæ annum 1577, in ejusdem verò ultimo annum 1595; cum quo

tres cycli magni finiunt, & in quadro primo lineæ ſupremæ numeratur annus 1596, in ejusdem extremo annus 1614, in primo quadro lineæ currentis 2dæ annus 1615, in ejusdem extremo annus compactus 1633; in lineæ ergò infimæ quadro primo annus 2109, & in ejusdem ultimo annus 2127. Atque hac ratione præbet hæc tabula non ſolùm annos Chriſti *collectos*, ſed etiam *expanſos*.

## § II.

### *Cyclus decemnovalis, & lunaris.*

1. Uterque circulus eſt perpetua revolutio 19. annorum, ita, ut his evolutis redeatur ad annum cycli primum:

2. Neuter tamen cyclus eſt cum altero confundendus: nam anno Chriſti primo erat annus cycli *decennovalis 2dus*, econtra cycli *lunaris 18vus*; cyclus *lunaris* incipit à Januario; econtra *decennovalis* à Martio. vid. infra n. 9.

3. Hinc in tabulâ hâc cujusque lineæ currentis quadrum *initiale* eſt ſedes primi anni quoad cyclum *decennovalem*; propter quod hujus cycli caput, utpote quod ſemper eſt initio cujusque lineæ, non eſt aliquo colore notatum. Si velis

4. *Invenire, quovis Chriſti anno dato, annum decennovalis cycli,*

Adde annis Chriſti datis 1; quia 2*do anno* cycli decennovalis natus eſt Chriſtus: totum divide per 19: quotus numerus remanet, totus erit annus circuli decennovalis: ſic anno Chriſti 20 fuit annus ejus 2dus; quia 19. de 21. tractis, remanent 2. Si nullus remaneat, erit annus ultimus cycli: ſic anno Chriſti 18 erat annus cycli hujus 19; quia 19 de 19 tractis, ſupereſt O. *

* Hinc in paradigmate, quod habet *Lünig Spicil. eccleſ. part. III.*, *pag.* 548, de Præpoſiturâ Schüſſenriedt tranſigente cum Dominis de Wartenberg: *Anno Verbi incarnati milleſimo ducenteſimo quinto. Decemnovalis CCCLI* (lege CYCLI) *VIII. Anno communi. Indictione octavâ. Epactis XVIII* (corrige XXVIII) *Concurrentibus V. Præſidente in Sede apoſtolicâ domino Papâ Innocentio tertio. Apoſtolatûs*

*ejus anno octavo. Regnante Domino Rege Philippo, glorioſiſſimi Imperatoris Friderici filio*, hic, inquam, annus VIII. cycli decemnovalis emendari debet per VIIII, ut ſedeat in 9no quadro lineæ 8væ; quia, ſi diviſeris 1206. per 19, remanebunt 9; & respondebunt tam concurrentes V, & indictio VIII. in dicto quadro, quàm in lineâ infimâ *annus communis.*

5. *Invenire, quovis Chriſti anno dato, cycli lunaris annum*

Si velis, annis Chriſti datis appone 17; tot enim anni hujus cycli jam abierant; cùm Chriſtus anno 18vo ejusdem circuli ſit natus: divide totum per 19; quotus numerus remanebit, totus annus erit cycli lunaris: ſic anno Chriſti 18 erat dicti cycli annus 16; quia ſi ad 18 jungas 17, habebis 35; ab his ſi detrahas 19, remanent 16. Si remaneat nulla, erit annus cycli *lunaris* 19, ſicut priùs dictum eſt de cyclo *decemnovali.*

6. *Solaris* cyclus, tam *decennovalem*, quàm *lunarem* ſuperat 9 annis; quos ubi ad 19 jeceris, cyclum *ſolarem*, i. e. 28 annos, habebis.

7. Tam *lunaris* quàm *decennovalis* cyclus veteri appellatione vocatur *aureus numerus*, fortè, quia antiqui eos cyclos in calendariis aureo charactere pingebant, quò uniuscujusque menſis novilunium citò ſub oculos caderet.

8. Hinc etiam eſt, quòd multi Computiſtæ non diſtinxerint hæc duorum cyclorum nomina, ſed *promiſcuè* his uſi fuerint. *

* Adfert *L'Art de verifier les Dates* Differt. præv. §. XIII rarum *diſtinctorum* cyclorum aurei numeri exemplum ex *Mabillon* in chartâ pro abbatiâ S. Luciani Bellovacenſis iſtud: *Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini MCIX, Indictione II, Epactâ XVII, Concurrente IIII, Cyclus lunaris V, Cyclus decennovalis VIII, Regularis Paſchæ IIII, Terminus paſchalis XIIII. Kal. Maji, dies paſchalis VII. Kal. Maji, Luna ipſius diei XXI.* Numera in lineâ ſcurrente anni compacti 1109. usque in quadrum *octavum*, quod *Concurrente IIII* notatur; abhinc deſcende eâdem lineâ ad *Epactam XVII*, & infra hanc ad *Terminum paſchalem XIIII. Kal. Maji.* In dictæ lineæ 3tiæ quadro *VI Concurrentis* incipies novum cyclum *lunarem*, ſi anno Chriſti primo numeraveris annum cycli illius 18, & ſic in *octavo* quadro anni *decennovalis* annum cycli lunaris *quintum*, in quo jam habes annum *octavum* cycli *decennovalis.*

9. Regula vulgo eſt: *muta cyclum* lunarem *in Kalendis Januarii*, *cyclum* decemnovalem *in Kalendis Martii*.*

* Hoc perpetuum non eſſe, credit *L' Art de verifier les dates* l. c. oſtendi ſequente paradigmate *ex Tomo* 1. *Galliæ Chriſt.* pag. 165. *Factum eſt hoc anno Incarnationis Verbi MCLXXXI, Indictione XIV, Epactâ III, Concurrente III, Cyclo decemnovali IV, Feriâ II idus Februarii*: charta eſt *Gaſtonis* VI, Vice-comitis Bearniæ ſed mihi hoc ſaltem exemplum non videtur intentum authoris evincere; pone enim, more Gallicano tunc uſitato, in Februario anni, quo à Kal. Jan. nobis jam cucurrit annus 1182, in illâ chartâ adhuc ſcriptum fuiſſe 1181, tunc concordabunt omnes termini, à quibus notæ temporum incipiunt: nam menſe Februario anni aliàs 1182 currebant adhuc notæ, quæ ex an. 1181 prodierunt, anno futuro finiendæ. E. G. 12. Febr. cucurrit adhuc *indictio XIV*, exorta 1. vel 24. Sept. an. 1181. *Epacta* III. à 1. Sept. 1181: *Concurrens* III à 1. Mart. e. a: *Cyclus decemnovalis IV* à 1 Mart. e. a: verba reliqua: *feria* II *idus Februarii*, cape aut, ſicut vult *L' Art de verifier* ſupra laudata, *feriâ II ante Idus Febr.* i. e. 8 Februarii, aut ſic: *feriâ*, quâ ſcribebatur *II Idus Februarii*, i. e. die 12 mox dicti menſis. Unde hoc paradigma regulæ nihil officit: ac præterea firmat regulam de notis temporum eo anno inchoandis, cui adſcribuntur in Tabulis chronologicis.

## §. II.

### *Annus communis & embolismæus.*

1. Cycli *lunaris* anni partim ſunt *communes*, partim *embolismæi*: Priores conſtant 12 lunationibus, poſteriores autem 13 quaſi anni *ſuperexcreſcentes*; quia habent inprimis 12 lunationes inſtar annorum *communium*, & inſuper 13tiam, quæ nulli menſi tribuitur.

2. Coeteræ lunationes *illi menſi* attribuuntur tanquam propriæ, in quo *finiuntur*, non ei, quo *incipiunt*.

3. Lunationes 13 contingunt intra 19 annos *ſepties*; nam tertius, ſextus, octavus, undecimus, decimus quartus, decimus ſeptimus, & decimus nonus anni ſunt *embolismales*, reliqui 12 *communes*.

## §. III.

### *Epactæ.*

1. Sunt 11 dies, quibus *ſolaris* annus *lunarem* ſuperat, inattentis minutiis computûs aſtronomici. Numerantur epactæ 19, & in

in Tabulis chronologicis plerumque ſubſternuntur lineæ currenti 28væ Concurrentium: aliquando etiam ſupra lineam ſupremam cernuntur.

2. *Primo* quadro, i. e. anno decemnovalis cycli, adſcribunt plerique: *Epactæ* NULLÆ: aliqui XXIX; alii XXX; *Secundo* XI, *Tertio* bis XI ſive XXII, *Quarto* III; quia ter XI faciunt XXXIII, à quibus ſubtracto uno menſe lunari, i. e. 30 diebus, remanent III dies, anno ſequenti dandi, atque ita quadro cycli *Quarto* epactæ III ſunt, quadro *Quinto* epactæ XIV: has ubi quadri *Sexti* XI addideris, erunt huic Epactæ XXV. His XXV ſi adjeceris Epactas XI quadri *Septimi*, evaderent in eo epactæ XXXVI, ſed detrahi debent XXX, ut ſint VI. Hæ VI & XI faciunt XVII, quæ ſunt Epactæ *Octavi* quadri, XVII & XI fac. XXVIII, ſive Epactas *Noni* quadri. XXVIII & XI. fac. XXXIX, abjice XXX, ſupererunt quadro *Decimo* IX Epactæ. IX & XI fac. XX Epactas quadro *Undecimo*. ſed *Duodecimum* contentum eſt Epactâ I, quia XX & XI faciunt XXXI, & XXX abjiciuntur: quadro *Decimo tertio* ſunt XII Epactæ, quia XI & I conficiunt XII. Propter eandem methodum *Decimo quarto* quadro cedunt Epactæ XXIII, *Decimo quinto* IV, quia de XXXIV detrahuntur XXX, *Decimo quarto* ex eâdem regulâ obvenium Epactæ XV; *Decimo ſeptimo* tribuuntur Epactæ XXVI, *Decimo octavo* VII, & denique *Decimo 9no* Epactæ XVIII.

3. Aliam regulam, anni epactas inveniendi dant iſtam: *Quota erit luna XI. Kl. Aprilis*, i. e. 22 Martii, *tota erit illius anni epacta.*

4. In Tabulâ primus epactalis annus quibusdam ſedet in quadro 2do, ubi XI, ita, ut in *primo* ſint epactæ XXIX, addendo XI ad XVIII: alii ponunt hìc epactas XXX: alii frequentiùs & meliùs *Nullas*; quia ſi ad XVIII jungas XII (non XI, propter ſic dictum *ſaltum Lunæ*) evadent XXX, quæ abjiciuntur, ut in 2do quadro ſignentur ſoli XI dies, omni anno competentes, nec à præcedente anno quid-

quidquam mutuetur: hinc illæ XXX epactæ primi quadri in lineâ currente Epactarum, comparatione ad quadrum ſubſequens, ſunt *nullæ*, & quaſi non eſſent. Alii verò, cum *Guillielmo Durando* Rational. lib. 8. Rubric. *de Epactâ*, in *primo* quadro dictæ lineæ currentis ponunt annum epactalem *primum*, & in *extremo* annum 19num: verba *Durandi* ſunt: dicitur *Epacta ab ἐπὶ, quod eſt* ſupra, *&* aucta; *quia eſt ſuperexcreſcentia anni lunaris à ſolari: ideóque* annus primus cycli lunaris nullam habet Epactam: *quia nullus annus præceſſit, à quo XI accepiſſet:* quæ tamen ratio non ſtringit; cùm unusquisque annus lunaris ſolari commenſuratus ex ſe minor hoc ſit XI diebus; quin ſit opus hunc defectum ab alio anno præcedente accipere: unde alii in *primo* quadro lineæ epactarum ſine hæſitatione ponunt epactas XXX, & in 2*do* XI, quæ, abjectis XXX, remanent ſolæ.

4. Aliam rationem, cur *initio lineæ epactarum* ſemper ponantur *nullæ*, videl. *epactæ*, reddit *Helpericus* monachus §. *Qualiter epactæ inveniantur:* „ Epactas cujuslibet anni reperturus, annos Domini, *nihil addens aut minuens*, primùm per XVIIII *divide*; & quod remanſerit, rurſus *multiplica* per XI. Et ſi numerus ille infra XXX remanſerit, epactas eſſe illius anni ſcias. Quodſi ultra excreverit, ſublatis quotquot triginta repereris, reſiduos pro epactis habebis. *Si nihil remanſerit, NULLA* eſt; quia per XVIIII annos epactarum volvitur circulus; idcircò annos Domini per ipſum numerum partimur, reſiduum *per XI* multiplicamus; *quia tot ſingulis annis accreſcunt epactæ.* Eum quoque numerum rursùs per XXX metimur; quem numerum epactæ non excedunt. Ad annos Domini nec addimus quicquam nec minuimus; quia *quando natus eſt Dominus, XI erant epactæ*, NB *ubi incipit ipſemet Epactarum cyclus.* „ Sic an. Dom. 532 *nullæ* ſunt epactæ, quia, 532 per 19 diviſis, nihil remanet: & an. Dom. 531 ſunt XVIII epactæ; quia 531 per 19 diviſis remanent 18: undecies 18 ſunt 198: ab his toties, quoties potes, detractis XXX, id eſt, ſexies, remanent 18. Sic an.

Dom. 533 ſunt epactæ XI; quia 533 per 19 diviſis, remanet 1, & undecies 1 ſunt 11. Sic currente anno 1776 ſunt epactæ XX VIIII; quia, 1776 per 19 diviſis, remanent 9, his per 11 multiplicatis reſultant 99, 30 hinc ter detractis, ſuperſunt 9.

5. *Initium* Epactarum pertinet ad illum annum, qui (coæquatione annorum, lunaris & ſolaris, factâ, ita ut reſultent XI. dies, ex anno *ſolari* ſuperexcreſcente adjiciendi anno *lunari*) ſubſequitur; quocunque demum die ſolarem annum inchöes, ſive 25. Martii, ſive *cum Ægyptiis* menſe Septembri, ſive *cum Chriſtianis antiquis* 25. Decembris, ſive *cum Romanis* 1. Januarii. Hinc juxta methodum *Ægyptiorum* annus epactalis quatuor menſibus antevertit annum epactalem *Romanorum:* nam *Ægyptii* coæquabant annos, *lunarem ſolarem*, in fine Auguſti, *Romani* verò in fine Decembris ſubſequentis.

6. *Romanum* hic uſum *plerumque* ſecuti ſunt notatores chartarum veterum: reperiuntur nihilominùs monumenta, quamvis minùs crebra, morem *Ægyptium* ſecuta, ut *annum epactalem* à Septembri *Januarium* illius anni, cui in tabula adſcribitur aliqua epacta, præcedente inchoarent. * Quam in rem ſæc. XIII *Joannes de Sacrobuſto* libello de *Computu eccliſiaſtico* docuit, cyclum *epactarum* non differre à cyclo *Decennovali* (i.e. *lunari*) niſi quòd *epactalis annus* priùs incipiat *ſpatio 4. menſium*, ſcilicet *à Septembri*, ſed *decennovalis* à *Januario.*

* Hujus uſûs quædam exempla adfert utiliſſimus ad notas temporum liber in fol. novæ edit. 1770. operâ Congregationis Benedictinæ S. Mauri ſub titulo *L'Art de verifier les Dates*, quæ inveſtigamus.

A. Diſſert ſur les Dat. §. XX. *Des Epactes.* pag. XXXI. *Acta ſunt hæc ... anno ab Incarnatione Domini MXCIII, Indictione I, Epactâ I.*
Eruditus Author cenſet, hanc chartam non fuiſſe datam *ante Septembrem* anni 1093, quia usque eò currebat adhuc *Epacta XX*, à Septembri anni 1092 progreſſa. At nónne potuit anno 1094, incepto in Nativitate Domini vel Kal. Januarii, quando alii, more tunc valdè uſitato, usque ad feſtum Annuntiationis adhuc ſcribebant annum 1093, ante hunc terminum mutati anni ſcripta fuiſſe Charta? Nihil repugnat; tunc enim, i.e. à Jan. anni 1094 jam intravit *Romano more*, non, quod ſupponitur, *Ægyptiaco*, *Epacta I*; & ex anno 1093 procedens *Indictio I* orientalis ſine offendiculo currere potuit. Vide Tabulam lin. currente 2, & à confini anno compacto 1083 numera dextrorſum, donec ſis in quadro rubro, cui inſiſtit *Concurrens V.*

B. Ex

B. Ex ead. pag. *Anno Domini MCXVII..... Epactâ XXVI. Concurrentibus VII.*
Potuit ſimiliter eſſe annus à Nativitate Domini vel Kal. Jan. 1118, aliis adhuc ponentibus annum 1117. Tunc erat *Romanâ methodo* Epacta XXVI. Concurrentes VII., ad an. 1117 notati, Kal. Martii excurrebant, itaque adhuc anno 1118 usque ad easdem Kalendas notandi erant Sic iterum nihil cogit *terminum* Epactarum *Ægyptiacum* huc inferre. Vid. Tabulam lin. 3, ubi 1102, & numera hunc in quadro 1, donec reperias conferenda quadra 16 & 17 hujus lineæ.

C. Ex eadem pag. *Facta eſt charta iſta menſe Novembrio, Feriâ VII, Epactâ VI, Lunâ VI, anno videlicet ab Incarnatione Domini MCXLIIII.*
Corrigendum eſſe annum agnoſco; ſed in quem? in an. 1143, an, ùt vult author, in annum 1145? In hunc ægrè conſentio: quæ enim ſimilitudo cifrarum induxiſſet apographi ſcriptorem, ut pro MCXLV ſcripſiſſet MCXLIIII? Hoc nemini facilè obrepit. Econtra ſæpiùs accidet ab obſcuritate vel æquivocâ ſcriptione cifrarum, præſertim unitatibus conſtantium, ut pro III legatur & erroneè ſcribatur IIII. Anno 1143 lit. Dominicali C habebis 27 Novembr. feriam VII ſive Sabbathum, quo erat Luna VI: dummodo corrigas Epactam VI per III, in quo genere ſcribendi ſæpè erratur, ut pro III legatur UI vel VI, ſi nempe prima duo I infra non ſint ſatis disjuncta ab invicem, ut ipſe Author obſervavit ibid. pag. XXVII, ubi in apographo pro Concurrente II ponebatur Concurrens V ob eandem ſcribæ oſcitantiam. Si jam epactam III addideris VII Regularibus Novembris, invenies 1. Novembr. lunam X, & 27 ejusdem lunam VI. Hæc via emendandi notas inſtrumenti apographi perplexas mihi videtur commodior, quàm ex anno MCXLIIII facere MCXLV, & ex anno 1146 more *Ægyptiorum*, parciùs uſitato, attrahere epactam VI in annum prædictum 1145.

D. Ibid. *Hæc confirmatio facta eſt .... anno ab Incarnatione Domini MCLII, menſe Septembri, in exaltatione S. Crucis, lunâ II, feriâ I, cyclus ſolaris XIII, epacta XXIII, Concurrentes II. Claves terminorum XIV, Indictione XV.*
Omnes notæ ſunt ſalvæ pro retinendo anno 1152, qui ſedet in cellâ viridi lineæ currentis 5tæ, juxta quam ſtat annus compactus 1140, & annus primus renaſcentis cycli ſolaris notatur in illo primo quadro: erat *Indictio XV*, ſi non orientalis, ſaltem italica; feſtum exaltationis, ſive 14 Septembris, incidit in feriam I ſive Dominicam: erat annus communis biſſextilis: Concurrentes II, litera Dominicalis FE (vid. infra § 4. pag. 18. tabulam) Claves Terminorum XIV, quia Epactæ XII. Vid. infra § 5. Hæc, inquam, omnia juſta ſunt. Sed in Lunâ II eſt ſcrupulus; neque enim hanc erues, ſive ab Epactâ XII, quæ ſubjicitur anno 1152, additis Regularibus V, neque ex epactâ XXIII anni 1153; ſic enim 14 Sept. an. 1152 erat luna II; niſi ſuccurras, dicendo, lunam *undecimam* ibi in autographo poſitam eſſe cifris arabicis 11, quas, ùt ſæpè accidit, deſcribens latinas II legit. Adhibitionem normæ *Ægyptiæ* in epactâ XXIII præfractè non negabo: ſed hoc non eſt evidens: quid enim, ſi exarator ex quâdam tabellâ eam deſcripſiſſet? Nónne oculo deſcendente à lineâ 5tâ usque in lineam epactarum, quæ 23 lineis diſtat, aberrare potuit in contiguam duodecimæ XXIIItiam epactam?

7. Certius ad hoc probandum eſt monumentum lapidis ex arenâ albâ juxta fores eccleſiæ parochialis in *Neomago* ad Moſellam, vulgò

vulgò *Neumagen*, renovatum an. 1767; quod Chriſtoph. *Browerus* Annal. Trev. lib. XV. fol. 87. col. 2. ſic refert: ANNO AB INCARNATIONE DNI MCXC. INDIC. VIII ** CONCURRENTE VII. EPACTA XXIII. XIII KALEND. NOVEMB. DEDICATUM EST HOC TEMPLUM ET ALTARE A VENERABILI TREVIRENSI ARCHIEPO IOANNE. PRIMO ANNO PONTIFICATUS. REGENTE. &c.*

VII

* Quære lineæ deſuper currentis 7mæ ad A. C. 1175 quadrum F: hinc deſcendendo in epactas; & anno 1190 videbis ſubſtratam eſſe XII, anno 1191 XXIII epactam, quæ ſanè inchoata fuit à Septembri an. 1190. Volens *de cifra epactæ XXIII*, nec non de ſpatio ante verba: *Concurrente VII*, eſſe certus, curavi illud mihi accuratè tranſſumi; redditum eſt totum, ultra ea, quæ dedit noſter *Browerus:* character non eſt formæ per omnia æqualis, nec univerſim Romanus, nec ex toto Gothicus; literæ pleræque eidem ſtipiti ſic innixæ, ut typis ordinariis oſtendi non poſſit totus earum modulus. Sic autem, notas temporis quod attinet, ibi habetur:

ANO AB INCARNATIOE· DNI· M· C· XC· INDICTIONE V· I· I· I·
CONCURRENTE· VII· EPACTA· XXIII· XII KL· NOVEBRIS· DEDICATV· E· HOC· TEMPLV· ET ALTARE· A VENERBILI· TREV· ARCHIEPO· IOHNE· PMO· ANNO· PONTIFICATVS EI· REGEE &c.

Hinc cernis, ſpatium cum ſtellulis ſupra lineam à *Browero* perperam eſſe poſitum.

Aliud exemplum ſuppeditat *Hiſt. Dipl. Trevir. Tom. I, pag.* 577, ubi noſter *Hillinus* in fundatione abbatiæ Arnſtein Ord. Præmonſtr. *Acta ſunt hæc Treviris IV Kalend. Novembris, anno divinæ incarnationis MCLVI indictione IV*, NB *Epactâ VII, Concurrente VII.* Quadro 17mo lin. curr. 5tæ infra reſpondet *epacta XXVI*, econtra *epacta VII* quadro 18vo, ſive anno 1157: incepta ergo hæc eſt in Septembri an. 1156 ad regulam *Ægyptiacam.* Ibid. pag. 600 in chartâ ejuſdem *Hillini* pro eâdem abbatiâ tale exemplum occurrit: *acta ſunt hæc Treviris anno incarnationis dominicæ MCLXIII. Indictione X. Epacta XXV. Concurrente I.* Vid. quadrum 5tum lineæ currentis 6tæ, cui adſtat annus 1159. Ibi in Concurrente I colloca annum 1163: *Epacta* XXV, ad an. 1164 ſignata, atque initianda in Septembri an. 1163, nec non *Indictio* X locanda in an. 1162, finienda 24 Sept. 1163, manifeſtant, chartam fuiſſe datam inter 1 & 25 Septembris.

8. Neque verò, tametſi, quod non eſt, *plurima* proferrentur exempla, quòd *epactæ* non incepiſſent eo anno, quo ſcribuntur, ſed retrò in Septembri præcedentis anni, concludendum eſſet à pari

ad

ad *indictiones*: cùm *Epactæ* ſint inventum *Ægyptiorum*, qui ipſum adeò annum quatuor menſibus citiùs quàm Romani inceperunt; *indictiones* autem ſint *Romanorum* creatura, qui in ſingulos annos tributa poſt fruges collectas exegerunt.

9. Sed nec deſunt exempla, quòd *epactæ* nec *à Septembri ante Januarium*, nec *à Januario*, ſed modò *à Septembri poſt Januarium* ejus anni, cui adſcriptæ ſunt, initium ceperint. Tom. II. Galliæ Chriſtianæ Probat. col. 344. legitur: *Anno ab Incarnatione Domini MCV. Epactâ XXII. Indictione XII.* *

* Quære an. 1105 in lineâ currente 3tiâ juxta an. compactum 1102, quadro quarto, ubi Concurrens VI. Deſcende ab hoc recto angulo in lineam epactarum, ibi ſtabit epacta III: igitur epacta XXII ex an. 1104 profecta eſt in annum 1105, & epacta III modò incepit Septembri an. 1105. Ita quoque indictio XII juxta meam regulam, indicans manifeſtè, actum hujus notæ geſtum fuiſſe ante Kal. Sept. 1105. Juxta regulam *Petavii* de indictionum initio vel *annus* 1105 in 1104 converti deberet, quod ægrè procedit, cùm nemo facilè pro MCIIII ſcribat MCV. vel *indictio* XII emendari per XIII. Mea verò explicatio nihil in notis corrigit, ideóque debet prævalere. In *Hiſt. Diplom. Trevir.* Tom. I. pag. 601. Charta *Hillini* Archiep. pro Clauſtro Himmerod ſic notatur. *Facta ſunt hæc Treviris anno dominicæ incarnationis MCLXVII. Indict. XV. Epactâ XVII. Concurrente IV. Ao Pont. XVI.* Vid. lin. 6. quadrum 9, ubi *Concurrens VI.* in viridi ſedet; & mox apparebit vitium tranſpoſitionis cifræ VI in IV per oſcitantiam deſcribentis. *Epacta*, verſus dictum angulum VI vir. aſcendens, non eſt XVII, ſed XXVIII, quam immediatè præcedit epacta XVII, quæ notatur ad an. 1166: neceſſe ergo eſt, ut *à Septembri* anni 1166 cucurrerit ad Sept. an. 1167.

10. Attento itaque, quod alii cancellarii *epactas* inceperint à Septembri *currentis* anni, alii à Septembri *præcedentis* anni, alii verò communiùs *à Januario*; adſunt *tres modi*, diplomata ab imputatione falſi ſalvandi.

11. Sed & inveni, quòd *Epacta*, quæ *ſequenti* anno adſcribitur, cepta fuerit *ab initio cycli decemnovalis*, qui à Martio ad Martium decurrit, vel etiam *ab anno*, 25 *Mart. incboato.* In archivo S. Martini Trevir. vidi tres chartas originales, nullâ parte vitiatas, primam *Theodorici* I archiep. Trevir. elegante ſigillo, alteram *Ottonis* II, tertiam *Hil-*

*lini*; quæ hanc methodum ſecutæ eſſe videntur, ut epactam *ſequentis* anni Januario currentem jam inceperint in *præcedente* anno *cycli decemnovalis*, neglectoRomanorum & Ægyptiorum initio. Data *Theodorici I* hæc eſt: *Data Treveri Anno Dominice Incarn. DCCCCLXXV, Indictione III, Epactâ XVII, Concurrente IIII. Imperante Ottone magno Imperatore, anno VII imperii ejus. In Dei nomine feliciter. Amen.* Anno 975 Nonis, i. e. 5, Junii obiit *Theodoricus I* Moguntiæ, ſepultus in Eccleſiâ *S. Gangolphi*, quam fundavit 12 Canonicis. *Prodrom. Hiſt. Dipl. Trevir. Tom. II. pag.* 746. *col.* 2, & *pag.* 978 *menſe Junio in Necrologio S. Maximini*, ubi tamen annum 965 corriges per 975: igitur hæc charta arctatur inter Martium & 5. Junii mox dicti anni; non poteſt enim *epacta XVII* porrigi ultra Martium anni 975; nec id ſinit initium *Concurrentis IV*. Vid. Tabulam lin. curr. 24, in cujus quadro 1mo ſedet annus 969, & in angulo, quem facit *epacta VI* aſcendens cum quadro 7mo verſùs 1mum, invenies *Concurrentem IIII*, à quadro flavo *Indictionem* III, & *Epactam* XVII quidem in *ſubſequente* anno 976, ſed initiandam *in Martio* anni 975. Annus *Ottonis* II. ſeptimus rectè poſitus eſt; nam ùt *Chronic. Gottvic. lib.* II. §. XVIII probat, *Otto* II Romæ coronatus eſt 25 Decembr. an. 968, primâ novi anni die. Hinc Sigebertus in Chron. ad d. an. *Otto junior, à patre evocatus Rhomam, à Joanne Papâ in Imperatorem benedicitur.* Subſtitiſſe autem *Ottonem* circa tempora hujus datæ Aquisgrani, probat *Annaliſta Saxo* apud *Eckart*. Tom. I. Scriptor. pag. 327. *Anno Dominicæ Incarnationis IXCLXXV* (i. e. 975) *Imperator Natale Domini in villâ Polidâ* (Polde in principatu Grubenhagen) *Paſcha in Grani palatio celebravit*. Incidit hoc in 4 April. Ipſum verò *Ottonis* II diploma ſic finit: *Actum Aquisgrani palatio anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXV, indictione* III *Epactâ* XVII, *Concurrente* IIII. *Anno Imperii Ottonis glorioſi Auguſti* VII. *Signum Ottonis glorioſi Imperatoris, Gangerius Notarius vice Rutberti Archiep.* (Moguntini, qui obiit aliis eod. a. 975, aliis a. 976, aliis 977) *ſummique Cancellarii recognovi* & 

*ſubſcripſi.* Tertium originale hoc habet: *Ann. D. incarn.* MCLXVIII. *Indict. I. Concurrente I. Epacta XX. Ao. Dni Hillini venerabilis Archiepi XVI. Amen.* Vid. lineam 6, ubi an. 1159: in quadro hujus 10 ſedet *annus* 1168. *Indictio* 1. *Concurrens* 1; ſed anno ſequente 1169 modò adnotatur *Epacta XX:* Annus XVI *Hillini* Archiep. exibat ante Kal. April. anni 1168, quibus ſaltem incepit annus XVII ejusdem. Neceſſe eſt ergò, ut caput epactæ hujus ponatur, in Martio anni 1168.

12. *Epacta* juncta *Regularibus Lunæ*, indicat, quæ ſit *prima Luna* cujusque menſis. Habent autem

| | |
|---|---|
| Sept. & Octob. Regulares Lunæ | V. |
| Nov. & Decemb. - | VII. |
| Jan. & Mart. - - | IX. |
| Febr. & April. - - | X. |
| Majus - - | XI. |
| Junius - - | XII. |
| Julius - - | XIII. |
| Auguſtus - - | XIIII. |

Cùm ergo erit *Epacta* XI, primâ *Septembris* & *Octobris* lucebit *Luna* XVI, prima *Novembris & Decembris Luna* XVIII.

*Fallit*, ſive ùt loquuntur antiqui, *mentitur* hìc *Epacta* in toto cyclo decemnovali *quinquies*, nempe in *octavo* anno *bis*, in *undecimo ſemel*, in *ultimo bis*, niſi fuerit *biſſextilis*. Omnes iſti anni, quibus fallit Epacta Regularibus addita, ſunt *embolismales*. Hinc ſi fuerit *Epacta* XVII, Kal. *Maji* non erit *luna* 28, ſed 27, nec Kal. *Julii* luna 30, ſed 29. Item, ſi fuerit *Epacta XX*, Kal. *Martii* non erit Luna 29, ſed 28. Et denique, ſi fuerit *Epacta* XVIII, Kal. *Maji* non erit Luna 29, ſed 28, nec Kal. *Auguſti* Luna 2 (ex 18 enim & 14 reſultant 32, à quibus detrahuntur 30) ſed Luna 3, *propter ſaltum*, quem facit luna in ultimo anno.

13. Modus notandi tempora per *Cyclos*, *Epactas*, *Concurrentes*, *Lunas*, non eſt aliquâ lege introductus, ſicut ſunt notæ per *indictiones* & *annos*

*Principum:* invexerunt illum Compotiſtæ; & quia hi plerumque erant clerici vel monachi, atque agebant notarios chartarum apud Epiſcopos alióſque Prælatos, ideo in horum chartis maximè comparet modus ille notandi; in chartis autem ſæcularium Poteſtatum rarò.*

* *L' Art de verifier les Dates* Diſſert. pag. XXXI. col. 2. profert exempla Sæc. IX. *Obiit autem* (S. Benedictus de Aniaño) ſeptuagenarius, *tertio idus Februarii anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo vigeſimo primo, Indictione XIV, Concurrente I, Epactâ decimâ quartâ.* Quære in Tabulâ quadrum anni 817, & in lineâ illâ currente numera usque in quadrum quintum, ubi *Concurrens I*, & annus expanſus 821 ſedent: hinc deſcendens ad ſubſtratas tabulæ *Epactas* deprehendes XIV. *Indictionem* XIV numera à quadro flavo lineæ anni compacti 798.

Aliam Sæc. IX ejusmodi notam habet cujusdam *Rodradi* ambianenſis presbyteri. *Ego.. IIII Non. Martii ſacerdotalis miniſterii trepidus ſuſcepi officium Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIII, Indictione I, Epactâ VII, Concurrente VI, Lunâ VII, Termino paſchali IV Kal. April.* Quære in lin. anni 836 quadrum penultimum, ubi annus expanſus 853 putatur in VI, conſequenter fuit indictio 1, concurrens 6: hinc rectâ deſcende in Epactas, & invenies VII., & perge eodem deſcenſu in quadrum termini paſchalis, & tenebis 4 Kal. April. i. e. 29 Martii, eo anno feriâ 4 hebdomadæ ſanctæ; quia litera dominicalis erat A, & Paſcha incidit in 2 Aprilis. Sed lapſus eſt in *lunâ VII*; potiùs enim tunc fuit *luna XIX.* Hanc ſic invenies: adde *epactis* anni 853 *Regulares lunares Martii*, i. e. 9 ad 7, & habebis 1. *Martii lunam* 16, proindéque 4 Martii *lunam* 19. Ordinatus eſt itaque iſte preſbyter *extra tempora* in Sabbatho ante Dominicam III Quadrageſimæ. Et hæc quidem exempla pauca Sæc. IX ſunt notæ *privatæ*. Sed *publicas* anno 1080 antiquiores non monſtrat, ſicut ego ſupra n. 11. attuli ex archivo S. Martini Trevir. duas Sæc. X.

In *Hiſt. Diplom. Trevir.* Tom. I occurrit iſte modus notandi jam anno 1030. pag. 368. Sed ibi non eſt documentum omni exceptione majus, ùt examinatis temporum notis apparebit. Pag. 532. eſt nota *Alberonis* archiep. *Actum Treviri XIII Kal. Februar. anno incarnati verbi MCXXXVI, Indictione III, Epactâ XV,* quam librarius malè tranſumſit, ſic autem ſupple: *Indictione XIV, Concurrente III, Epactâ XV.* Vid. Tabulæ lin. 4. quadr. 16, ubi putabis annum 1136. Pag. 577. charta *Hillini* Archiep. pro abbatiâ Arnſtein ſic notatur: *acta ſunt hæc Treviris IV Calend. Novembris, anno divinæ Incarnationis MCLVI, Indictione IIII, Epactâ VII, Concurrente VII. Epactam VII* noli corrigere per XXVI, licet hæc anno 1156 ſubſtrata ſit; quia epacta VII, anno 1157 ſubjecta, jam anno 1156 illi chartulario incepit. Pag. 586. acquiſitio caſtri Naſſau ſic notatur: *acta ſunt hæc in eadem curiâ Perdenheim anno dominice Incarnationis MCLVIII, Indictione VII, Epactis NULLIS, Concurrente, III. Data Treviri VII Idus Martii.* Anno regni Friderici VII. Pag. 588 idem Hillinus: *Anno dominice incarnationis MCLVIII. Indictione VI. Concurrente III, Epactis NULLIS. Data Treviris Kal. Aprilis.* Epactæ *nullæ* non indicant annum 1158.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0026-0

1158, utpote cui ſubſternuntur *epactæ XVIII*: eſt ergo in utroque ſchemate annus 1159 à Kal. Jan., quem Treviri modò 25 Martii inchoare ſolebant: *Vid. Tab. lin. curr.* 6. *quadr.* 11 & deſcende in epactas rectâ. An. 1159 erat *Concurrens* III. Schema prius habet *Indictionem VII*, ſchema poſterius VI; eſt tamen utrumque ab eodem *Hillino*, & ſuper eodem negotio: quî juvamus? Schema *primum* (correctiones ſine neceſſitate fugio) ſervavit *italicum* indictionum ordinem, *ſecundum* verò *orientalem*, utrâque indictione ex anno 1158 progreſsâ in annum 1159, quem annum firmant in poſteriore chartâ conſequentia Datæ verba: *regente Domino Friderico, anno regni ejus VIII, imperii IIII, pontificatûs verò noſtri VIII, legationis IIII*: nam *Fridericus* I Aquisgrani eſt unctus Rex 9. Mart. 1152: unde in *priore* datâ 9. Mart. 1158 adhuc ſcribebatur *regni* ejus annus VII ante meridiem diei coronationis anniverſarii, poſt meridiem annus VIII, qui in *poſteriore* Kal. April. eſt poſitus, *Imperii* autem *annus IV* currebat usque ad 18 Jun. 1159. *Albero* Trevir. Archiep. obierat 15 Jan. 1152. *Hillinum*, qui ei ſucceſſit, jam fuiſſe ordinatum ante Aprilem ejusdem anni, conſtat ex *Tom. I. Hiſt. Dipl. Trevir.* pag. 588, ubi *Hillinus*, qui pag. 570 an. 1152 ſcripſerat: *anno regni ejus (Friderici I) & pontificatûs noſtri I*, Kal. Aprilis 1159 jam ſignavit annum VIII ſui pontificatûs. Poſt *Hillinum* acta *Arnoldi* I ſunt *epactis* & *concurrentibus* notata, nec non *Joannis* I Archiep. qui usque ad an. 1212 rexit Trevir. Eccleſiam. Hujus memorialem lapidem dedit C. *Browerus Tom. II. pag.* 91, qui adhuedum ſalvus eſt in cryptâ ſacri quod vocant ſepulchri ſubtus chorum primarium majoris Eccleſiæ, ſupra medium muri, gradibus in chorum oppoſiti, quod tranſumptum quia primâ mox fronte mendoſum videbatur, 4 Octobr. 1775 cum duobus viris acutè videntibus, & lumine adhibito, revidi. Sic autem *Browerus* edidit uncialibus literis: *Anno ab Incarnatione Dni MCXCVI* .... (a) *XVII* (b) *Concurrente* (c) *Indictione XIV*, (d) *dedicatum eſt hoc altare à venerabili Dno Joe Archiepo Trevirenſi* (e) *Pontificatûs ſui anno VII, in honore Sce D. Genitricis ſempérque Virginis Mariæ, & Sce Helenæ* (ſequitur, quæ in altari repoſitæ ſint Ss. Reliquiæ) *VII* (f) *Idus Decembris.*

a) Supple: *Epacta*, verbo ſatis legibili.

b) Non *XVII*, qui foret error, ſed XV.I.I.I. interpoſitis punctis: ignoſcendum deſcribenti, quia poſtremum I plurimam partem cæmento & lapideo colore ita erat obductum, ut ſcalpello priùs debuerit purgari.

c) Omiſſa *Concurrentis* cifra I clarè ſub oculos cadit.

d) *Indictio* ſic ſculpta eſt: XIIII, non per XIV.

e) Pro *Trevirenſi* eſt *Trevirorum*.

f) Pro VII Idus eſt ſine cifris: *Octavo Idus*.

Poſt *Joannem* I, qui obiit an. 1212, nullæ ampliùs *ab Epactis & Concurrentibus* apparent notæ in *Hiſt. Dipl. Trevir.* undo iſta methodus nec univerſalis fuit, nec ultra IV ſæcula duravit.

§. IV.

## §. IV.

### *De cyclo ſolari, & intra eum circumvoluto cyclo Concurrentium,* nec non *De Literâ dominicali veteris Calendarii.*

1. Cyclus *ſolaris* eſt perpetua 28. *annorum ſolarium* revolutio, ita, ut veteres compotiſtæ cenſuerint, ſolem poſt totidem annos reverti ad ſtatum ſui primi excurſûs, omnibus *literarum Dominicalium* viciſſitudinibus ad principium repedantibus.

2. Signatur in Tabulâ colore *purpureo,* licet eum S. Simeonis prototypon minio diſtinxerit, ſicut *indictionem 3tii cycli magni*, ex quo confuſio putandi oriri poſſet: unde etiam *San-Mathiana Tabula* colorum diverſitatem amplexa eſt.

3. Nupera mea Tabula, prototypon ſecuta, *primum quadrum* ſummæ lineæ purpureo colore pinxerat: ſed cenſui in præſenti magis expedire, ut caput ſolaris cycli ponatur in quadro 2do lineæ 2dæ, quia Chriſtus natus eſt anno 10. ſolaris cycli, ad quem pervenies, ſi in lineâ omnium infimâ quadro 12mo numeres hujus circuli annum 1. usque ad 8. incluſivè, ut hinc ad lineam ſupremam aſcendens in primo ejus quadro putes annum 9, in 2do, cui Chriſti Nativitas adſignatur, annum 10.

4. *Quotus* ſit cycli ſolaris *annus*, inventuro regula ſit: *annis Chriſti datis adjice* 9; totidem namque anni præterierant de cyclo ſolari, quando natus eſt Chriſtus: totum divide per 28. Quod remanſerit, erit annus quæſitus. Si nihil, erit 28vus. Sic anno compacto 551. ſi addideris 9, facies 560, his per 28. diviſis, remanebit nihil: erat ergo tunc annus cycli ſolaris ultimus, nempe 28vus. Eâdem ratione anno 552 fuit annus 1mus; quia 9. ad 552. adjectis erunt 561: his per 28 diviſis, ſupereſt 1. Et ſic quidem operare *ab anno* à Natali Chriſti 20*mo*. Si verò annus Chriſti datus fuerit *infra* 20*mum*, e. g. 13tius, adjice 9. anno dato, & habebis annum cycli ſolaris, nempè d. a. 13tio 22dum.

5.

5. In ipſo cyclo *ſolari* volvitur ac revolvitur motu perpetuo *cyclus Concurrentium*, i. e *dierum* poſt 52. hebdomadas, quas habet ſolaris annus, *abundantium:* unde ſicut verbum *dies* maſculini ſimul & fœminini generis eſt, ita diplomata & compotiſtæ mox dicunt, e. g. *Concurrente tertio*, mox *tertiâ*, promiſcuè, alii verò plurali numero, *Concurrentibus tribus.* Vocantur etiam *Epactæ ſolis.*

6. Cùm itaque annus *ſolaris* habeat 365 dies, 364 per 52 exhauſtis, remanet unus, qui dicitur *Concurrens.* Et cùm *biſſextilis* annus habeat 366 dies, eo occurrente, erunt in eodem quadro duo Concurrentes, ſic tamen, ut prior ſignificetur literâ b, aut punctulis ∴, poſterior autem cifrâ latinâ exprimatur. Hinc eſt, quòd nunquam *totus* Concurrentium *ſeptenarius* ordo ſcribatur, ſed in omni hebdomade unu alternatim omittatur, ſintque inter *duo* quadra *biſſextilia* ſemper *tria non-biſſexta.*

7. *Concurrentes* ſic ſe ab exordio ſuo conſequuntur, ut *hæ*, *quæ cifris exprimuntur*, conficiant numero ſuo 28, & cuique anno *ſolari*, unus de his numeris reſpondeat: En ordinem Tabulæ noſtræ à ſupremâ lineâ.

| | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Concurrentes. | BIIII. | V. | VI. | VII. | bII. | III. | IIII. | V. | bVII. | I. | II. | III. |
| Annus ſolaris. | 9. | 10. | 11. | 12. | 13. | 14. | 15. | 16. | 17. | 18. | 19. | 20. |
| Concurrentes. | bV. | VI. | VII. | I. | bIII. | IIII. | V. | VI. | bI. | II. | III. | IIII. |
| Annus ſolaris. | 21. | 22. | 23. | 24. | 25. | 26. | 27. | 28. | 1. | 2. | 3. | 4. |
| | bVI. | VII. | I. | II. | | | BIIII. | | | | | |
| | 5. | 6. | 7. | 8. | Hinc ſalta ad 9, quo incepiſti. | | | | | | | |

8. In reformato per *Gregorium XIII* Papam Calendario uſus *Concurrentium* ceſſat; cùm *literæ dominicales* ſufficiant, quas veteres Compotiſtæ hoc ordine habent, ſimiliter incipiendo ab anno natali Domini. Ubi eſt *litera duplex*, ibi *biſſextilis annus*, quo mutatur litera *ſuperior* in *inferiorem* in feſto S. Mathiæ.

| | | | | | | | | | | | | | | | |
dedit literas conſenſûs *menſe Junio Indictione V.* Quotus tunc erat annus Chriſti? Prӕterierant 66 *integri* ordines indictionum, qui

| | |
|---|---|
| faciunt annos - - - | 990. |
| Adde alios - - - | 12. |
| & illam indictionem V - - | 5. |
| reſultat an. Chr. | 1007. |

3. *Ais:* Ergò Papalis conſenſus *prӕceſſit* erectionem, utpote datus *menſe Junio*, qui *Novembrem* prӕcedit! ℞. Quando *annus Incarnationis* in documento omittitur, & *ſola indictio* ponitur, tunc ſumitur *annus indictionalis*, cujus terminus eſt *September*, ita ut in hoc anno *November* antecedat *Septembrem.* Cùm ergò inflexibilia teſtimonia aſſerant erectionem Epiſcopatûs Bambergenſis contigiſſe *Kal. Novembr. an.* 1007. *indictione V*, & *menſe Junio* ſub *eâdem indictione* datus ſit conſenſûs Papӕ *Joannis*, cúmque intereà in Natali Domini anno 1007 ſucceſſiſſet annus 1008, vides evidenter, quòd *ſub eundem annum indictionalem* redigatur November anni 1007, & *Junius* anni 1008. Vid. infra §. III. n. 1. Manet interim *regula Helperici.*

4. Hac methodo cognoſces Chriſti annos in antiquis documentis, ſive Paparum, ſive Regum, qui in notâ temporis omiſerunt *annos à Nativitate Domini*, & loco eorum poſuerunt *indictionem & menſem duntaxat:* *

* Sic S. *Gregor.* M. ordinatus eſt 3. *Septembr. ind. IX:* igitur Epiſtolӕ ejus in lib. I. prӕcedunt, quӕ menſe *Septembri* ſcriptӕ ſunt, ſequuntur, quӕ menſibus, *Novembri, Decembri, Februario, Junio*, & *Auguſto* dabantur: iſte ergò menſium ordo fuit in *anno indictionali.* Vis nunc ſcire, quotus tunc fuerit annus Chriſti ex ipsâ indictione: effluxerant tunc à Natali Domini *majores* indictiones 38 integrӕ, quӕ faciunt 570 annos; adde 12 propter indictionem *majorem*, ſub quâ natus eſt Chriſtus: adde 9 propter hanc indictionem in Epiſtolis Gregorianis *primi anni* expreſſam, reſultabit annus Chriſti 591, non 590. Vides, quòd methodus *Helperici* non quadret indictioni IX, adſcriptӕ anno 591 in ordine *Orientalium*, & juxta *Petavium* inchoandӕ jam an. 590. Uſus eſt ergò S. *Gregorius* indictione *Italicâ*, quӕ anno 590 adſcribitur, & in eodem excurrit *Septembri menſe.* Si velis autem methodum *Helperici* accommodare indictioni *Italicӕ*, non adde, ùt ſupra 12,

ſed 11; quia in ordine *Italico* jam 4 indictiones abierant, quando natus eſt Chriſtus. Et hoc tene, ſi in *quatuor primis menſibus anni indictionalis* velis indagare annum Chriſti *ab indictione* quærendum. Si verò in reliquis octo, appone 12 ad indictionem in documento expreſſam; quia tunc creſcit unâ monade annus Chriſti.

5. Practicâ *Helperici* hodieque licet uti; non obſtante *Reformatione Calendarii* de an, 1582: nam quoad antiquum calculum *indictionum* nihil ab eâ fuit mutatum. Sic modò fluxerunt *integræ indictiones* 117: adde per 15 multiplicatis 12 *minores*: adde porrò indictionem *currentis* anni, nempê 9: & reſultabit annus Chriſti 1776.

6. Ulterius ex Computu *Helperici*. Indictiones *cujusque anni* invenire deſiderans, ſume *annos Domini*, quotquot fuerunt in præſenti, & his adde Regulares III, illos ſcilicet annos, qui PRÆCESSERANT *de indictione* (intellige *majore*) *quâ NATUS eſt Dominus*; & totam hanc ſummam partire per XV: & quot remanſerint, ipſa eſt *indictio anni præſentis*. Si nihil remanſerit, XV erit. *

* Cum his non ſtat *Petaviana regula*, utpote cui *præceſſiſſent* 4 *anni* de illo ordine indictionum, in quo 25 Decembris natus eſt Chriſtus: deberent ergò annis Chriſti datis addi 4, ut ejus indictio inveniretur *quinta*. Qui verò ajunt, natum eſſe indictione *tertiâ*, hi tantùm 2 annos addent, qui præceſſiſſent.

## §. II.

### *Notæ quædam chronologicæ ex aliis partibus MSti Codicis San-Mathiani de Archiepp. Trevir.*

1. *An. ab Adam VIDXXV, Domini MXV, Indictione XIII, Cyclo Lunæ VI, Epactis XXVIII, Concurrente V, Paſſione Dñi occurrente VI. Idus April. Lunâ XV, deceſſit MEGINGAUDUS Archiepiſcopus.* *

* Annum Dom. 1015 quære in lineâ antepenultimâ Tabulæ San-Simeonææ, quadro 9, ibi numerabis mediante *flavo* colore *indictionem* XIII, *Concurrentem* V, eique ſubſtratam *Epactam* XXVIII. Conſule *Terminum Paſchalem*, rectâ ſub Epactâ, VII idus April. nempè feriâ V in Cœnâ Domini, ut *dies Paſſionis* occurrat VI idus April *Luna XV*. *Cyclum Lunæ VI* quære tam in Tabulâ San-Mathianâ, quàm in noſtrâ ſub lit. A, numerando in quadro primo lin. antepenult. annum cycli lunaris XVII. in 3tio XIX in 4to I, & in quadro 9no annum VI.

Rectè

Rectè igitur noſter *Browerus* lib. X. num. finali receſſit à *Lamberto Schaffnaburgenſi*, ſcribente, annum obitûs *Megingaudi* fuiſſe Chriſti 1017mum. Cur autem *Browerus* inter hunc & *Hermannum contractum*, qui cum noſtro MSto ſtatuit annum 1015tum, elegit medium, nempè annum 1016tum? Movit eum *Ditmarus* lib. 7. Chronici narrans: *In Vigiliâ Natalis Domini MEGINGAUDUS Trevericæ civitatis Epiſcopus obiit in urbe ſuâ COPHELENCI dictâ, ſedens VIII annos & VII menſes.* Non moveor; quia Vigilia Nativitatis Domini erat dies ultimus anni 1015, & ſubſequens Natalis dies primus anni 1016. Nec erat, quòd ibi *Browerus* gratularetur Treviris, *majorum ignava ſilentia HINCMARI diligentiâ* expugnata eſſe. Unum hoc eſt in acceptis referendum *Hincmaro*, quòd omiſſum *obitûs diem* notârit. Sed & *Necrologium S. Maximini* Tom. II. *Prodromi* Hiſt. Dipl. Trevir. pag. 994 notavit: *VIII Kal. Jan. MEGINGAUDUS Trevirorum Archepiſcopus.*

Eundem an. MXV habet *Necrologium Fuldenſe* Tom. I Prodromi pag. 643 *Anno MXV MEINGOZ Treverenſis Archiepiſcopus* Habet *Annaliſta Saxo*, relatus ibid. pag. 692 col 1. *Anno MXV. in Vigiliâ Nativitatis Domini MEINGAUDUS Trevericæ civitatis Antiſtes obiit Confluentiæ in urbe ſuâ Anno MXV. Imperator Natale Domini Patherbrunæ celebravit, & POPPONEM Luippoldi filium, Babenbergenſem Præpoſitum, Treverenſi Eccleſiæ præfecit.* Habet *Chronicon Auguſtenſe* ibid. pag. 717. *Anno* MXV. *MEGINGAUDUS Treverenſis Epiſcopus obiit, cui Poppo ſucceſſit.* Imò verò *Adolphus Overham*, Werthinenſis monachus O. S. B, in Not. XLI ad vitam B, *Meinwerci*, quæ cum *Chron. Hildesheimenſi* obitum *Megingaudi* ad an. Chr. 1017 conjecit, paſſum *Ditmari* à *Browero* adductum ex ejusdem lib. 7. pag. 199 refert velut ſcriptum *ad an.* 1015 *in vigilia Natalis Domini* &c. Cum his confer notam *Hiſt. Dipl. Trevir. Tom. I. pag.* LXX.

2. *An. ab Adam V̄IDLVII, Dñi MXLVII, Indict. XV, Lunæ Cyclo XVIIII, Epactis XXII, Concurrente III, Paſſione Dñi XV Kal. Maji, Lunâ XVIII, † POPPO. Succeſſit EBERHARDUS Archiepus.* *

* In Tabulâ noſtrâ quære ad an. 1045. quadrum 3tium, ſub quo *Epacta* XXII. Cyclum *Decemnovalem* XVIIII videbis in Tabulâ *San-Mathianâ* pariter quadro 3tio.

Annum obitûs *Popponis* variè referunt monumenta, ût notavit an. 1639. *Joannes Linden* S. Simeon. Canon. & Cleri Syndicus in ſuâ MStâ Hiſtoriâ Trevir. *Trithemius* in Chron. Hirſaug. ſcribit, *Popponem annis* 41 *præfuiſſe, mortuum an.* 1057. *Indict.* X. *VI* (XVI) *Kal. Jul.* Antiqui Codices apud *Kyriandr.* fol. 14, *eundem ſediſſe annos* 30, *menſes* 5, *dies* 10, *obiiſſe an. Chr.* 1067. *Scheckmannus*, intelligi poſſe an. 1046. 16 Kal. Jul. Ipſum adeò monumentum æneum ſepulchrale, in reliquo ſatis perplexum, quod, nunc lapide opertum, an. 1639 vidit & deſcripſit *Lindenus* noſter, disertè habet: *Anno Dominicæ Incarnationis MXLV. XVI Kal. Jul.* Hæc diverſitas refundi poteſt in annos Chriſti diverſimodè ſcriptos Sæc. XI & XII. ab his, qui receſſerant ab Æra vulgari: horum enim alii *duos annos minùs* ſcribebant, alii verò *decem*, alii *viginti, ampliùs.*

3. *An.*

3. *An. ab Adam* ṼIDLXVI, *Dñi MLVI*, *Indictione VIIII*, *Cyclo lunari VIIII*, *Epactâ I*, *Concurrente B I*, *Paſſione Dni Non. April. Luna XV.* ✝ *HENRICUS Imperator ſecundus. Succeſſit filius ejus.* *

* Intellige *Henricos* III & IV. Quære annum 1056 in lin. infimæ quadro 12mo, ubi *Concurrens biſſextilis I*, & infra cum *Epacta I*. Pro indictione adhibe adhuc colorem *flavum*.

4. *An. ab Adam* ṼIDLXXVI, *Dñi MLXVI*, *Indict. IIII*, *Cyclo lun. XVIIII*, *Epactis XXII*, *Concurrente VI*, *Paſſione Dñi XVIII Kl. Maji*, *Lunâ XV. Deceſſit EVERHARDUS Epiſcopus. Succeſſit Udo Archiepus.* *

* Quære annum 1066 in lin. ſupremæ quadro 3tio., ubi *Concurrens* VI, & *indictio IV*, à quadro *flavo* extremo lineæ infimæ numeranda. Similiter infra Tabulam vide *Epactas* XXII in quadro earum 3tio.

5. *An. ab Adam* ṼIDLXXXVIII, *Dñi MLXXVIII*, *Indict. I*, *Cyclo lun. XII*. *Epactâ IIII*, *Concurrente VII*, *Paſſione Dni VIII Idus Aprilis*, *Luna XVIIII. Deceſſit UDO Archiepus. Succeſſit Engilbertus Epiſcopus.* *

* Quære in lin. ſupremâ quadrum *Rubrum*, nunc caput cycli indictionum, ibi ſedet *Concurrens VII*. Epactam IV habebis ad pedem hujus columnæ.

6. *An. ab Adam* ṼIDXCIII, *Dni* MLXXXIII, *Indict.* VI, *Cyclo lun.* XVII, *Epactis NULLIS*, *Concurrente* VI, *Paſſione Dni* VI *Id. Aprilis*, *Lunâ* XVII. *Ordinatio EGILBERTI Epiſcopi.* *

* *Epactæ nullæ* monent, quærendum eſſe annum *compactum*, hic 1083, qui ſedet in quadro 1mo lineæ 2dæ cum *Concurrente VI*, & *Indictione VII*.

7. *An. ab Adam* ṼIDXCIIII, *Dni* MLXXXIIII, *Indict.* VII, *Cyclo lun.* XVIII, *Epactis* XI, *Concurrente* BI, *Paſſione Dni* IIII *Kal. April. Lunâ* XVIII. *PASCHÆ die Henricus efficitur Imperator Romæ à Papâ electum coronante.* *

* Cùm annus iſte præcedentis paradigmatis annum 1083 proximè ſequatur, quære in quadro 2do lineæ 2dæ, ubi annus *biſſextilis*, *Concurrens I*, *novus* cyclus ſolis. *Henricus* iſte eſt III Imperator, IV Rex, Romæ coronatus 31 Martii 1084.

8. An. 1090 hæc *San-Mathiana* omiſit annos ab Adam, & ſic poſuit: *Anno D̃. e. g.* MXCIII. *Indict.* I, *Cyclo lun.* VIII, *Epacta* XX,

*Concurrente V*, *Termino* LXXIi III *Idus Febr.*, *Termino* XLIVIi *Non. Martii*, *Lunâ primâ primi menſis* IIII *Non. April.*, *Sabbatho*, *Termino paſchali* XVII *Kal. Maji crematum eſt monaſterium S. Paulini Kl. Aug.* *

* *Geſta Trevir* cap. 73 annum ſilent. *Prodrom.* Hiſt. Dipl. Trevir. pag. 90 refert hoc ad an. 1090.

9. Sed cur iſte liber obitum S. Simeonis refert ad an. 1036: *An. ab Adam* VIDXLXI, *Dni* MXXXVI, *Indictione* IIII, *cyclo lun.* VIII, *Epactâ* XX, *Concurrente* BIIII, *Paſſione Dni* XVI *Kalend. Maji*, *Lunâ* XVI? *

* Hi quidem characteres denotarent deceſſum S. Simeonis an. 1036. Sed præferendus eſt oculatus teſtis, *Eberwinus*, Abbas S. Martini Treviris ſimul & in Tholeja, biographus, qui morienti cum duobus monachis S. Martini adſtitit, & annum 1035 ſcripſit. *Prodrom. Hiſt. Dipl. Trev. Tom. I.* pag. 666. col. 2.

## §. III.

*Proferuntur quædam exempla ex Lünigii Spicilegio eccleſiaſtico.*

1. Continuat. 3. pag. 1295. in Donatione S. *Henrici* Imp. factâ eccleſiæ Wormatienſi, *Eberhardus Cancellarius. Data V. idus Maji anno Dominicæ Incarnat. milleſimo* VIII. INDICT. V. *Anno verò Domini Henrici ſecundi regni* VI. *Actum Triburi feliciter Amen.* Et refert *Schannat.* Tom. 2. Hiſt. Wormat. pag. 37. ex archivo Epiſc.

* Sic clarè vides, *Indictionem V* ex anno 1007 cucurriſſe in an. 1008, & 12 Maji.

2. Contin. 1. pag. 1136, in bullâ *Honorii* II pro abbatiâ Saalfeld O. S. B. in Thuringiâ. *Datum Laterani* VI. *Kal. Martii per manum Ditmanrici Cancellarii bibliothece ſancte Romane eccleſie ab incarnatione Domini anno* MCXXVI. *Indictione* III. *Pontificatûs Domini Honorii Pontificis* II *anno* II. *

* Vid. Tab. lin. 4. quadro 6, in quod ex quadro 5. tranſit *Indictio III.* Honorius II ex Oſtienſi Cardinali factus eſt Papa 21. Xbris an. 1124, Nihil hìc cal culo Piſano.

3. Spicil. eccl. part 3. pag. 1773. *Honorius* III confirmat privilegia

 mona-

monaſterii *Weiſſenawe* O. S. B. Conſtantiens. Diœc. *Data per manum Rainerii ſancte Romane eccleſie Vicecancellarii* II. *Kal. April.* Indictione VI. *Incarnationis Dominice* MCCXIX, *pontificatûs verò* Domini *Honorii Pp.* III. *Anno*... * ſupple *ſecundo.* *

* *Honorius* III. ordinatus eſt 24 Julii an. 1216.

4. Ibid. pag. 47. de Abbatiſſis, privilegium pro monialibus in Gandersheim eſt *Datum Laterani per manum Will. ſanctæ Rom. Eccleſiæ Vice-Cancellarii* X. *Cal. Maji.* Indict. IX. *Incarn. Dom. anno* MCCXXII. *pontificatûs verò* Domini *Honorii Papæ tertii anno quinto.* *

* In his duobus Datis Honorii III adhibitus eſt *calculus Piſanus*, qui à 25 Martii anni 1218 jam incepit annum 1219.

## §. IV.

### *Examinantur ad Tabulam quædam poſitiones P. Dionyſii Petavii S. J. lib. XI. Cap. XLII. de Doctrinâ Temporum.*

1. Quocunque demum anno *indictioni* datum ſit initium, *illud extra controverſiam eſt. SIC eas putandas ac tali ordine percurrendas eſſe, ut & decimus quintus POST annum Chriſti* CCCXII Indictione *primâ NOTETUR à SEPTEMBRI, à JANUARIO verò decimus ſextus.* *

* Sic non hæc Tabula: quære lineam, quæ anno Chr. compacto 303 reſpondet: abinde procede ad an. 312, qui ſedet in cellâ |∴II| lin. 17mæ 9nâ: non in hac ſed in 10mâ relucet color *viridis*, dux indictionum ejus cycli magni: ab hac, non à *præcedente* eam, incipis numerare 10 quadra, ſive indictionem 10mam usque & pro an. 322.

2. Etſi in *anteriora tempora* Προληπτικως (per prolepſin, ſive anticipationem) refundantur, *anno illi*, qui *proximè* Chriſtianam æram PRÆCESSIT, *quarta à Septembri* menſe *tribuatur indictio*, à quâ & *annus* Chriſti *primus* ordinatur. *

* Ergò in quadro 1mo ſupremæ lineæ eſſet ponenda *indictio IV*, in 2dò *indictio V*, ſub quâ natus foret Chriſtus. Sed antiqui contradicunt; ùt ſupra vidimus, ſcribentes; *tres* (non quatuor) *indictiones PRÆTERIERANT, quando natus eſt Chriſtus*; ideò etiam inventurum *indictionem ex annis Chr. datis* juſſerunt his appo-

apponere *tres*, non *quatuor*; & inventurum annos Chriſti *ex indictionum ſerie*, his multiplicatis addere annos 12, non 11, ùt ſupra.

3. Ideóque *illo ipſo*, quem nominavimus *anno* CCCXII *prima indictio* init *à Septembri.* *

* Si illo ipſo anno iniit, cur *Petavius* an. 312 ſignavit O, cur eodem anno non ſignavit I, ſicut in reliquis temporum notis? Tabula anno Chriſti 313 appoſuit indictionem I; ſi jam à Septembri an. 312 incepiſſet eam, quid prohibuiſſet, quò minùs quadrum præcedens pingeret *viridi*?

4. In hunc enim *conſulatus ille Conſtantini & Licinii ſecundus* incidit, nec non *Conſtantini de Maxentio victoria*, ùt rectè in *Chronico* obſervarât *Onuphrius*; quem proinde mirum eſt in *Faſtis* anno Chr. CCCXIII *indictionis initium* & *Maxentii* necem illigâſſe. *

* Onuphrius *Panvini* Veronenſis, Ordin. Eremitarum S. Auguſtini, celeber vir juvenis, à Pontifice, Imperatore, Regibus, magni factus, floruit Sæc. XVI: obiit an. 1568, ætatis 39. Rectè illigavit anno 313. indictionem I. *orientalem*: malè verò interitum *Maxentii*, ùt qui cadebat an. 312. indictione XV *orientali*. Sic & *Chronicon Alexandrinum*, quod habetur in Tom. I. *Bibliothecæ Patrum* pag. 77. D. *CCLXXIII Olympias. Indictio XV, Conſt. VII. Conſtantino Auguſto III & Licinio II conſulib.* Sequitur *Contius* ad calcem Corporis Jur. civil. cum notis *Gothofredi*, qui cum eodem Chronico *Indictionem I.* illigat anno Chr. 313. *Conſtantino A. & Licinio III. Coſs.*

5. Neque enim ex eo poteſt excuſari (*Onuphrius*) quòd *Natalem Chriſti* ærámque communem *uno anticipârit anno* (natum enim poſuit Chriſtum *Auguſto* XIII & *Silvano Coſs. Anno Juliano* XLIV, & primum à Natali numerare cœpit anno Juliano XLV) nam etſi Faſtos ſuos ita digeſſerit, uno tamen expuncto Conſulatu, cum ærâ communi circa *Probi* tempora rediit in gratiam: unde *Conſulatus* II *Conſtantini ac Licinii* in annum Chriſti CCCXII, non minùs *Onuphrianum* quàm *Dionyſianum*, competere debet. Meliùs itaque *Chronicon Onuphrii* hac ex parte procedit, quàm ejus *Faſti*. *

* Hi quoque, qui Chriſti nati annum Imum *Auguſto XIII & Silvano Coſs.*, annóque Urb. condit. 751 attribuunt, nihilominùs ſtatuunt, Chriſtum natum eſſe *ſub Indictione IV*, per conſequens *anno* 313 *in Septembri* intrâſſe *indictionem I*. Cætera ad nos nihil.

## §. V.

### *Examinatur idem D. Petavius lib. XII. cap. 10. de Doctrin. Temporum.*

1. Idem *Beda*, ſcribit *Petavius*, cap. illo XL (XLV) *Paſſionis* annum *obſcurè* definit ex monachorum quorundam narratione, qui Romæ *anno Dionyſiano* DCCI fuerunt. *Sancta ſiquidem*, ait, *Romana & Apoſtolica Eccleſia hanc ſe fidem tenere* (nempè paulò plus Chriſtum XXXIII annis vixiſſe) *& ipſis teſtatur indiculis, quæ ſuis in cereis annuatim inſcribere ſolet, ubi tempus Dominicæ paſſionis in memoriam populis revocans numerum annorum triginta ſemper & tribus annis minorem, quàm ab ejus Incarnatione Dionyſius ponit, adnotat. Denique anno ab ejus Incarnatione juxta* Dionyſium *ſeptingenteſimo primo* INDICTIONE QUARTA DECIMA (ſic in MSto & typis excuſo Bedâ lego, non per cifras an. DCCI Ind. XIV) *fratres noſtri, qui tunc fuêre Romæ, hoc modo ſe in Natali Domini in cereis S. Mariæ ſcriptum vidiſſe, & inde deſcripſiſſe referebant:* A PASSIONE DOMINI JESU CHRISTI ANNI SUNT DCLXVIII.

2. Quo ſuper nobili loco *Bedæ*, cùm diſputâſſet *Petavius*, ita concluſit: *Quam ob rem* MENDOSUS *eſt ille Bedæ locus: neque* QUOMODO RESTITUENDUS SIT, *ſatis apparet.*

3. Sed aqua *Bedæ* eſt limpida, quam ſuâ diſputatione turbare fruſtrà niſus eſt *Petavius*: SUNT, ajebat ſcheda cereis an. 701 affixa, *anni à Paſſione Domini* 668. non dixit: *currit modò annus* 668*vus*. Adde his annos vitæ Chriſti 33, vel potiùs, ùt expreſsè Beda ibi addidit, 34, quatenùs ipſum annum, quo paſſus eſt Dominus, attingere poſſis, erúntque expleti anni 701, currens verò annus 702, ſi hunc incipias à 25 Martii præcedentis 25 tam Decembris. Verùm *indictio Bedæ* diſplicuit *Petavio*: tunc, ait, *eſſet indictio XV*, *non* XIV. At crucem ſibi fixit regulâ ſuâ: juxta meam verò *indictio* XIV, menſe Septembri an. 701 egreſſa, in ejuſdem Decembri adhuc fluxit.

4. Iun-

4. Iungo *ænigma* ex Cod. MS. *San-Mathiano* ſæc. VIII in formâ octavâ majore ſub num. 135, ubi, poſt Sibyllæ verſus, pariter annus notatur à Paſſione Domini: *Ab exordio mundi usque ad Paſſionem Domini Ihu Xpi ſunt anni* V̄C C: XXVIII: A PASSIONE *verò Dni ñi Ihu Xpi. usque in præſentem annum, id eſt* PER II INDICTIONEM (ſubaudi numerandum) *ſunt anni* DCXCII: *qui faciunt ſimul annos* V̄DCCCCXVIIII. *

* Sunt à *Paſſione* Domini usque in annum, quo iſtud ſcriptum eſt, anni 692: *usque ad Paſſionem* 5228: & tamen ab exordio mundi illuc usque tantùm numerat 5919; cùm potiùs calculus reddat 5920. ℞. Annus mundi 5228vus nondùm erat *completus*; hinc tempore paſſionis ſcripſit 5919 completos, & *vigeſimum adhuc currentem* non computavit, quia modò *in autumno* complendus erat. Sed quomodo *præſens* tunc *annus* per *indictionem II* notabatur? Nónne ſi annis à *Paſſione* addas annos *à Nativitate*, nempè 33 completos, reſultabit annus Chriſti 725, quo cepit *indictio VIII?* ℞. Iſte notator calculavit, ſicut quidam alii, 10 annos ultra *æram vulgarem*, & ſic pro anno *à nativitate* 725 numeravit 735, quo currebat adhuc *poſt diem Paſſionis usque ad Septembrem indictio II* ab an. 734 fluens in annum 735.

## §. VI.

### *Examen notarum Temporis membranæ, quam vidi originalem, illæſis penitùs chartâ, verbis, & ſigillo.*

1. *Actum anno Domini* MXXX. *Indictione prima* (ſic ſcripta eſt, non cifrâ) *Epacta* XVI. *Concurrente* VII. *

* Hæ notæ ſunt perperam poſitæ; nam 1) an. 1030 non quadrat *indictio I*; cùm fuerit XIII. Quære lineam currentem penultimam, & ibi quadrum 5tum, ſedem anni 1030, primam verò indictionem numera in quadro 16to flavo lin. antepenult. 2) Grave peccatum eſt in *Epáctâ XVI*, quam in cyclo epactarum non invenies; & anno 1030 reſpondet *Epacta XIV*. 3) Error eſt in *Concurrente*, quæ an. 1030 non erat VII, ſed III.

2. Reſtitue rem, notis temporum retentis, exceptis, epactâ, quæ erat XVII, & *anno Domini*, quem muta in 1033: nempè ſcriba omiſit per oſcitantiam verbum *tertio*. Quære lin. penult. quadrum 8vum. De cætero res acta eſt extra omne dubium, tùm propter aliud documentum ſanum de an. 1037. apud *Calmet* Tom. I. *Hiſtoire de Lorraine in probat. pag.* 405, tum propter antiquiſſimam & hactenùs quietam poſſeſſionem.

## §. VII.

*Examinatur reſponſio ad objectum aliàs exemplum regulæ meæ de an.* 1132: *nec non D. Papebrockius.*

1. Confirmatum eſt privilegium *Catalaunis* (à Chalon en Champagné) *Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, Indictione nona, Epacta prima, Concurrente tertio, imminente biſſextili anno, pontificante* Domino *Papa Innocentio ſecundo.* *

* Inſpice Tabulam lin. 4. currente, in cujus I. quadro ſedet annus 1121, in 12mo ∴V annus 1132, in eadem columnâ deſcendente *Epacta I. Indictio* à rubrâ regente *nona* in quadro II, proindéque ex an. 1131 profecta eſt in annum 1132.

2. Hoc paradigma fecit negotium antagoniſtæ: vellet ex anno 1132 facere 1131: qui aliàs ſe exhibuit *demonſtrantem*, eum hìc *nequidem probantem* invenies. *

* *Anno,* 1132 inquit, *juxta modernum ſtylum* non erat *Concurrens III, ſed V., etiam, ſi ita placeat IV., ſed per duos menſes non integros, deinceps autem omnino V.* Quandónam ergò *Concurrentes* incipiunt? An Kalendis *Januarii*, an verò *Martii*? Sic anno 1132 usque eò fluxit adhuc ex anno 1131 *Concurrens III.* Pergit: *non IMMINEBAT an.* 1132 *BISSEXTILIS annus, ſed ille ipſe BISSEXTILIS erat.* Sic eſt, & monſtrat Tabula quadro 12mo. Verùm *imminere* non ſemper ſignificat *appropinquare*, ſed etiam *adſtare* & *adeſſe*, ſicut *inſtare* non ſemper *futurum*, ſed etiam *præſens* indicat: hinc *Quintiliano* eſt *præteritum, inſtans, futurum.* Voluit ergò notator temporis dicere: *annum Chriſti* 1132 *fuiſſe biſſextilem*, ſumpto *imminere* pro *tomber*, *cadere.* Proſequitur: *Epacta quidem erat I, ſed eadem Ægyptiaco computata more inchoata jam menſe Septembri an.* 1131. Unde hoc ſcit, ac monſtrat, in occiduis Europæ partibus, nominatim in *Remenſi* provinciâ, & ſpecialiùs *Catalauni*, modum *ægyptiacum* computandi Epactas tunc viguiſſe? Quid cogit huc convolare? *Mos*, ſubdit, *fuit non infrequens*: at frequentior & ordinarius, *Romano more*, Epactas inchoandi *à Kalendis Januarii*, ſed repedat ad verbum *imminere.*, quod potiùs cadat in Decembrem anni 1131! Jam ſupra reſponſum eſt: & cur temporis character ſumeretur potiùs à *futuro*, quàm *currente* anno? Argumentum proinde à verbo *imminere*, comparato *Innoc. II anno 2do*, nihil probat; nam eodem anno concurrebant annus Chr. 1132dus & an. Innoc. II. 2dus: nempè ante 23 Februarii, quo annus Innoc. II. 3tius incepit. *Quis*, interrogat, *ex his omnibus non concludat, vel Piſanum calculum, vel alium quendam, qui tantundem propè abſcedat à ſtylo noſtro, iſthoc in diplomate adhibitum fuiſſe?* Ad vacillantem hanc reſponſionem adegit annus 1132 diſertè expreſſus: *Calculo Piſano*, qui novem menſibus prævenit annum noſtrum, quis credet *ſine expreſſâ mentione* uſum fuiſſe Datarium *Catalauni* notantem? Alium calculum quendam, à ſtylo noſtro prope abſceden-

dentem, invocare, neque tamen nomen ejus ſcire, eſt ad divinationes in anguſtiis confugere. Denique *Indictio IX* ex regulâ *Petavii* cùm non quadraret anno 1132, convolavit ad *Pontificiam*, *de Januario ad exeuntem Decembrem ſine tranſitu in noſtrum* 1132, ut ſcribit: Aſyſtaton eſt, *aliud anni* appellare *initium* quàm *Kaleudas Januarii*, & nihilominùs ab his novam *cum mutato anno* indictionem ſtatuere: contruſa & violenta eſſe hæc ſimul juncta, confido æſtimaturos impartiales.

3. Daniel *Papebrochius* in *Conatu critico-hiſtorico* ad Innoc. II, hujus refert *Datum Bononiæ per manum Aymerici S. R. E. Card. Diaconi Cancellarii idibus Decembris, Indict. X, Incarnationis Dominicæ anno* MCXXXIII, *Pontificatûs Domini Innocentii Papæ* II *anno* III. Et ſubdit: privilegium hoc *vitiatum à tranſcribente fuit in numero indictionis, quæ* XI *numeranda erat.* *

* Hoc rectè; nam *indictio X* jam exſpiraverat in Septembri an. 1133. Quòdſi verò adhibeas *Petavii regulam*, tunc jam quoque exſpiràſſet *indictio XI*, eſſetque reponenda *Idib. Decembr.* XII.

## §. VIII.

### *Examinantur quædam indictionum* paradigmata ex libro *L' Art de verifier les Dates in fol. Edit. an.* 1770.

1. Pag. XII. col. 2. *Datum apud Campilium... III Nonas Martii, Indict. XV, Incarnat. Dominicæ an.* MCXXXVIII, *Pontificatûs verò D. Innocentii* (II) *Papæ anno* IX. *

* In ſolâ indictione ſcrupulus eſt, quia *indictio XV* ſcribitur ad annum 1137, proinde juxta regulam *Petavii* an. 1138 currere non potuit. Doctiſſimus Author contulit hoc Datum cum altero ejusdem Innocentii, & eod. anno: *Datum Laterani Kal. Maji, Indict. I, Incarnat. Dom. MCXXXVIII, Pontificatûs verò D. Innoc. PP. anno IV*, & ſic ad iſtam indictionum repugnantiam ſuſpenſus ſcribit: „ Il eſt certain, que *l' indiction XV*, ſelon *les cinq manieres* de la commencer, rapportées ci-deſſus, appartient à l' an. 1137. *Eſtce une nouvelle eſpece d' indiction* employée dans ces deux bulles? Eſt-ce plutot une faute du Chancelier? C' eſt-ce que nous n' oſons decider. „ Facile reſpondetur, ibi *indictionem XV* fuiſſe *prorſum* putatam ex regulâ noſtrâ, in poſteriore Dato *uno anno retrò* quàm erat ſcripta, ſive quod pronius arbitror, utraque ab eo anno, quo excurrit, prorſum cucurrit verſus annum ſequentem: ſed unius *prima* ſignabatur *italicè* ad an. Chr. 312, alterius verò *prima* ad an. 313, *orientaliter.*

2. Non

2. Non eſt in his putandi modis *lapſus*, ſed potiùs *indifferens electio*, recidens in eundem annum: ſive enim ad an. 1138 Kal. Maji ſcribas indictionem XV, ſive I, putando à Septembri ad ſeptembrem eundem annum demonſtrabis, nempè, ùt dixi, I ducendo ab an. 312, & XV ab an. 313. Quod igitur Steph. *Baluzius* & *Joan. Mabillon.* ibid. ſcripsêre, per totum annum 1207, *Innoc. III* tomum, à Cancellario Papæ pro indictione X ſcriptam, atque in Regiſtra hujus Papæ relatam eſſe indictionem IX, error non fuit (quis enim credat, errorem toto anno à tot reviſoribus Datarum non fuiſſe animadverſum?) ſed ſtudioſa *orientalis* methodi præ *italica* electio, ſaltem usque ad Septembrem.

3. Ex eodem. loc. cit. pag. XXVII. *Anno* MCXXXII. *Indictione* X. *Epacta* I, *Concurrentibus* V. *Terminus paſchalis* II *Nonas Aprilis. Dies ipſius Paſchalis diei* IV *idus. Luna ipſius diei* XX. *

* Omnes has notas oſtendit tibi Tabula, cum præmiſſâ methodo inveniendi lunam. Omiſſus eſt menſis & dies: hinc pro neutrâ parte pugnantium ſuper putatione indictionis allegari poteſt; cùm neſciatur, an indictio X ſit *italica*, an *orientalis*: refert, *ante* Septembrem data ſit charta, an verò *in eo*, aut planè *poſt eum.* Idem eſt de iſtâ ibid. *Hæc autem facta ſunt anno MCLII, Epactâ XII, Indictione XV, Concurrente V cum B. Circulus lunaris XIII, Terminus paſchalis VIIII Kal. April. Luna ipſius diei* XX. Non curabatur menſis & dies datæ: ſed temporum notæ deſcribebantur, prout quoque anno jacebant in tabulis. Qui deſcripſit originale, malè vidit Concurrentem ∴V pro ∴II. Conſule lin. curr. 5tam quadro 13. Quàm ſæpè, & cur iſta hallucinatio ſcribis contingat, ſuperiùs expoſui.

## §. IX.

*Proponitur nodus ex Hiſt. diplom. Trevir. Tom. I.*

*Alberonis* noſtri charta fundationis *pag.* 539 ſic notavit: *Acta ſunt hec Treviri anno ab incarnatione Dni* MCXXXVIII$^{o\ mo}$. *Pontificatûs Dni Aldalb'onis Trevirorʼ Archiepi & apl'icæ Sedis Legati* VII$^{mo}$. *Conradi Romanorum Regis ſcdi* I.$^{o}$ *Indict.* XV, *Epacta* XVIII, *Concurrente* VI. Sic habet originale, cujus exactum apographum, ex-

preſsè

preſsè propter *indictionem* XV rogavi, & à Rmo D. Abbate ROBERTO in Himmerod benevolè obtinui.

Econtra

*Pag.* 540. Idem Albero ſic notavit: *Actum Treviris anno* dominicæ incarnationis MCXXXVIII *indictione* PRIMA, *concurrente quinto. Regnante glorioſiſſimo Rege Conrado, anno regni ejus primo; anno autem pontificatûs noſtri* VI.

Q. 1. Quænam charta eſt *prior tempore*?

℞. Hæc poſterior; quia annus VI pontificatûs *Alberonis* eſt prior VII, & concurrens V. prior concurrente VI, omnésque notæ concordant anno 1138; quo erat Indictio I, Concurrens V, *Conradi* Regis, vulgò III, in diplomatibus autem II, 13 Martii an. 1138 Aquis coronati, annus I, *Alberonis* Archiep., in Paſchate anni 1132 ordinati, usque ad Paſcha anni 1138 annus VI.

Q. 2. Quo anno data eſt *prior* charta?

℞. Anno nobis jam 1139, aliis verò usque ad 25 Martii, vel etiam Paſcha, adhuc 1138. Hoc evincit Epacta XVIII, & concurrens VI.; nec non annus *Alberonis* VII: qui anno 1138 incipiens tunc adhuc fluxerat: annus I *Conradi*, ſimiliter adhuc fluens, probat chartam fuiſſe ſignatam ante 13 Martii anni 1139.

Q. 3. Sed quî anno 1139 congruit *indictio* XV, cùm fuerit tunc *Ima*, & XVta congruat anno 1137?

℞. Iſte cancellarius poſuit diem 25 Decembris, quâ natus eſt Chriſtus, ſub *indictione III*, dum alii jam putabant IV; hinc in cellâ rubrâ lin. 4. Tabulæ penultimâ, ubi nos jam numeramus indictionem I, ille modò poſuit XV, à menſe Septembri anni 1138 tranſeuntem ad Septembrem anni 1139: vides, quàm ſint diverſa indictionum initia.

*Alia exempla ex eodem Tomo* I.

*Pag.* 586. Signavit Capitulum Wormatienſe, *Conrado* Wangionum Epiſcopo præſidente, ita: ACTA *ſunt hæc in eâdem curia Perdenheim, anno dominice incarnationis* MCLVIII, *indictione* VII, *epactis nullis, concurren. III*, regnante domino *Friderico imperatore, anno regni ejus* VII, DATA *Treviri* VII *idus Martii.* Omnes hæ notæ annum compactum 1159 indicant. Cur ergò ſcribitur annus 1158?

℞. More Trevirenſi, & aliorum annus 1158 ſcribebatur usque ad 25. Martii 1159.

Sed VII *idus Martii* i. e. 9 Martii jam inceperat annus *Friderici* I octavus; cùm fuerit Aquisgrani coronatus dicto die & menſe an. 1152!

℞. *Acta* ſunt iſta in Perdenheim ante 9 Martii, conſequenter anno adhuc VII *Friderici*; non autem dicitur *Data* Treviri eodem regni ejus anno; niſi fortè data poneretur ante horam coronationis ſolitam, quæ die jam multùm provecto celebrari conſuevit.

*Pag.* 588. Prædictus *Hillinus* ſic: *Acta ſunt hec anno dominice incarnationis* MCLVIII, *indictione* VI, *concurrente III*, *epactis nullis. regente domino Friderico*, *anno regni ejus* VIIII, *imperii* IIII. *pontificatûs verò noſtri* VIII. *legationis* IIII. *Data Treviris Kal. Aprilis.*

Epactæ nullæ, & Concurrens III produnt annum 1159. Cur ergò hìc 1. April. adhuc notatur annus 1158.?

℞. Annus hìc mutatur *in paſchate*, quod an. 1158 incidit in 12 Aprilis: ergò 1. April. adhuc ſcribebatur annus 1158.

Sed anno 1159 reſpondet *indictio* VII, non VI.?

℞. VII modò à Septembri ejus: manſit ergò 1. April. adhuc indictio VI, prodiens à Septembri anni 1158 juxta regulam meam.

## §. X.

### *Examinatur exemplum Joan. Bapt. Ricciolii*, *Chronol. reform.* *cap.* 16.

1. Diploma *Caroli M.* pro fundando Epiſcopatu Bremenſi apud *Ubbonem lib.* 3. pag. 79 *Data II idus Julii anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXXIIX. *Indictione* XII.

2. Vide Tabulam lineâ anni 779 & numera annum 788 in quadro ejus tomo, ubi VII, ſive *Concurrens* II cum B. Applica *regulam Petavii*: non trahet hæc *indictionem* XII ex an. 789 in 14 Jul. an. 788. Ergò *unica indictionis ſpecies*, ſignanda ad annum *ſubſequentem*, non ſufficit explicandis omnibus phænomenis. Sume autem *aliam ſpeciem*, quæ ſignetur I ad an. 312, & videbis, quod an. 788 fuerit indictio 12, *exorſa cum exordio anni.*

Tantum intereà pro cupidâ hujus argumenti juventute. Sed nondum

# PARERGA.

## EX JURE GENTIUM.

### TEXTUS.

*Quæſitum: an* impubes *rem alienam amovendo furtum faciat. Et placuit, quia furtum* ex affectu furandi *conſiſtit*, ita demum *obligari eo crimine* impuberem, ſi *proximus pubertati ſit, & ob id intelligat ſe delinquere.* §. 18. Inſt. *de obligation. q̈ ex delict.*

### *Scholia.*

I. Eſtne hæc deciſio *ex Jure naturali?*

℞. *Neg.* Quia hoc jus neſcit *pubertati* annum *certum* ac *uniformem* aſſignare.

II. Sed neque novit, quo ætatis anno *unusquisque impubes* ſit *doli capax* (quæ conditio ad omne crimen requiritur) alii enim citiùs, alii ſeriùs *callidi* fiunt, & ingenioſi ad fraudes.

III. Hinc in *l.* 23. *ff. de furt.* JCtus *Julianus* ſimpliciter dixit: *Impuberem furtum facere poſſe, ſi jam doli capax ſit:* item *poſſe cum impubere damni injuriâ agi, quia id furtum ab impubere ſit:* quaſi aliam ſuadens actionem, ſiquis contenderet, cum impubere agi non poſſe furti. Modum adhibuit *Julianus* iſtum: *in infantes id non cadere.* Hæc recenſens in d. l. *Ulpianus* ait: *nos putamus, cum impubere culpæ capace* Aquilia *agi poſſe*, reticendo ſuam mentem de *actione furti* contra *impuberem.*

IV. *Doli* verò *capacem* eſſe *impuberem*, *Ulpianus* in l. 13. §. 1. ff. de dol. arbitratur, *& ex ſuo nomine* doli conveniendum, ſi PROXIMUS *pubertati* eſt: & in *l.* 4. §. 26. *ff. de dol. except.* refert, *Julianum* ſæpiſſimè ſcripſiſſe, *doli pupillos*, *qui* PROPE *pubertatem ſunt, capaces eſſe.*

V. *Gajus* autem in l. 111. ff. de R. J. cenſuit, *pupillum qui* PROXI-

MUS *pubertatis ſit capacem eſſe & FURANDI & INJURIÆ FACIENDÆ.*

VI. *Juſtinianus* Imp. *Ulpianum* & *Gajum ſuum* ſecutus eſt hìc utens *proximus* verbo.

VII. Quis verò *pubertati*, quis *infantiæ*, quam *Theodoſius* Imp. in *l.* 18. *C. de jur. delib.* annis ſuis clarè definivit, *proximus* ſit, non expreſſit.

VIII. Hinc orta eſt *opinatio*; alii pro *puero mare* ſtatuunt, *proximum pubertati* poſt annum $10\frac{1}{2}$, pro puellâ poſt $9\frac{1}{2}$, dimidiantes tempus, quod ultra infantiam ſupereſt usque ad pubertatem cujusque ſexûs. Sed nec placet *in pœnalibus* diſcrimen fieri *maſculos* inter & *fœminas*; nec ſatis impletur verbum: *proximus*; nec præjudicium *l.* 14. *ff. de SC. Silanian.* attenditur, ubi *Trebius* Germanus legatus *de impubere* ſumi juſſit ſupplicium; quia is puer *nec multùm à puberi ætate aberat*, & ad pedes domini cubuerat cùm occideretur.

IX. Alii eos dicunt *proximos*, qui *tantùm ſemeſtri* diſtant à pubertate. Arg. *l.* 17. *ff. de excuſat. tutor.* Sed hi rectè explicant *ex Jure civili* verbum: *prope*, non *proximus*.

X. Alii *ex Jure canonico eos proximos* accipiunt, qui *anno tantùm* à pubertate diſtant: *Arg. cap.* 6. *de deſponſ. impub.* Alii eos, qui *tribus diebus*. Arg. *cap.* 10. *eod.*

XI. Alii, qui *annum ſeptimum* jam *explevissent*, alii hoc *judicis arbitrio* reliquunt, qui ex moribus & facto pueri æſtimet ingenium.

XII. Hærent hìc *Naturaliſtæ*, hærent *Legiſtæ*, defectu ſufficientis *determinationis*.

XIII. Quid igitur in hoc Juris imperfecto dicendum?

℞. *Furti actio civilis* contra impuberem non dabitur, niſi *notabiliter infra ſemeſtre* ſexus uterque à 14. *completis annis* diſtet: *pœnalis* autem *corporalis* (*minor* tamen *ordinariâ* cap I. *de delict. puer.*) arbitrio judicantis committetur; quoniam *furtis*, *mendaciis*, *perjuriis plena eſt* grandiuſculorum *puerilis ætas*. cap. cit. *Conſer.* Carolin. Nemes. de an. 1532. art 164.

# EX JURE CANONICO.

## *Argumentum cap. 3. de Pœnit. & Remiſſionib.*

I. *Fridericus* I. Imp., majeſtatem Imperii in Italiâ ferè collapſam reſtauraturus, dum caſtrum *Verrua* (in d. cap. *Vernica*, melius alii *Verruca*) fortiſſimum ad Padum ſibi poſcebat, *Nobilis vir Petrus*, id Cæſari negavit. Hinc *deſtructis* à Friderico *quatuor caſtris*, *plusquàm duo millia domorum deſtructa fuerunt, multi homines interfecti, & alia mala ibi commiſſa, quæ longum eſſet per ſingula enarrare*. d. cap.

II. Denegationem ſuam *Petrus* malorum cauſam fuiſſe agnoſcens, *Deóque exinde reconciliari* volens, petiit ſibi injungi pœnitentiam ab *Alexandro III*, tunc à *Friderico* I. adhuc diſſidente, unde & iſtum in cap. vocat DICTUM IMPERATOREM.

III. Papa *Petrum* non declaravit *liberum eſſe onere pœnitentiæ*: ſed rem *Mediolanenſi* Archiep. demandavit, quatenùs illi eam, *ſecundùm quod viſum fuerit*, MISERICORDITER imponeret:

IV. Hujus commendatæ *miſericordiæ* Papa dedit cauſam; quia Petrus *pro SUA libertate & ECCLESIÆ devotione* hoc feciſſet, *& ut alii, & ipſe idem pro auſteritate pœnitentiæ à ſervitio Eccleſiæ nullatenùs retardarentur; nec aliquod ſalutis periculum deberent formidare.*

## QUÆSTIONES HISTORICÆ.

I. Quo anno, & cur *Fridericus* I. tunc Romam venit? Propter verba cap. *cùm OLIM REDIRET AB URBE.*

℞. *Pancirolus*, celeber Sæc. XVI JCtus Italus, *lib. 2. Variar. cap.* 193. conjicit hunc caſum in an. 1155, quo *Fridericus* Romæ 18. Jun. ab *Hadriano* IV. Papâ coronabatur: & favere videtur particula *olim*, quæ longi temporis eſt nota. Sed repugnat ordo viæ, quem *Otto Friſing. lib. 2. cap.* 24. ſic deſcribit: „ *Fridericus itaque victor inclytus, triumphator*, ab Anconenſium territorio caſtra „ movens, per Senegalliam, ubi Senones Gallos olim *Romani* manſiſſe autumant, „ Fanum, & Ymulam tranſiens, Apennino tranſmenſo, in plano ulterioris Italiæ

„ juxta Bononiam ſuper Renum reſedit. Inde per planam Italiam, transmiſſo „ juxta beati Benedicti cœnobium navibus Eridano, ad campeſtria Veronenſium „ revertitur, *circa principia* menſis Septembris. „ Quæ reditûs via ne à longè quidem tetigit *Verruam*. Veriùs ergo factum hoc refertur *in ſecundum Friderici* ab Urbe *reditum*; ex quo 1. Aug. an. 1167 Romæ cum ſuâ conthorali *Beatrice* ab antipapâ *Paſchali* III ipſe coronatus erat ſecundùm Imperator, *Alexandro* III. Viterbium fugiente: tunc, peſtilenti morbo exercitum affligente, coactus eſt *Fridericus* jam 6. Auguſti Româ diſcedere; inde recepit ſe *Luccam*, comitante militum mortalitate, hinc reflexurus in *Lombardiam*, per conjuratas civitates autem à finibus earum prohibitus, trans montium aſpera per *Montisferrati* territorium iturus *Papiam* ad Eridanum ſive Padum ſuperiorem confine dicto ducatui caſtrum *Verrua* offendit, quod antehac ſuæ ſecuritati, utpote fortiſſimum, jam ſemel occupaverat: noluit autem nobilis vir *Petrus* illud aperire; quia cum Mediolanenſibus, Cremenſibus, Alexandrinis, & aliis, in rebellionem relapſis, conſpiravit.

## II. Cujus tunc erat iſtud caſtrum?

℟. Noſtri antiqui ſcribunt, *Epiſcopi Vercellenſis*, poſt Cardin. *Oſtienſem*, ſupparem, in *d. cap.*, qui ſcripſit Sæc. XIII. Ægrè adducor, ut credam, *Vercellenſi* Epiſcopo *ultra jus diœceſanum* tunc quidquam aliud in Verruâ competiiſſe; nam 1.) inter ultramontanos Epiſcopos *Friderico* fideles, & perjuram *Mediolanenſium* defectionem deteſtatos, *Radevicus*, Canonicus Friſingenſis & Cæſaris capellanus, defuncti *Ottonis Friſing.* continuator *lib. 4. cap. 27.* recenſet *Vercellenſem*. 2.) Idem *Radevicus* cap. 31. narrat, quomodo *Fredericus* aliàs circumierit territoria *provinciæ Mediolanenſis*, in diſcrimen hoſtium, & ſuorum præſidium, caſtella & munitiones, *utpote VERRUCAM*, *Serram longam*, *Lou*, *&* *cætera*, *quæ in terrâ illâ magis inexpugnabilia, nec aggreſſione facilè capiebantur*, *ſuſcepta ſapienter providerit*: unde potiùs ad *jus Mediolanenſe* videtur locus iſte reſpexiſſe; quò etiam olim pertinuiſſe ſcribunt Hiſtorici, donec an. 1531. *Carolus* V. Imp. eam *Carolo III.* Sabaudiæ Duci cesserit. 3.) Topographi civitatem *Verrucæ* cum caſtro adſcribunt *Comitatui Aſtenſi* comitatui, inquam, non *civitati* Aſti: in quo illa etiam reâpſe ſita eſſe cernitur, quapropter unà cum hoc comitatu tranſiit in jus Sabaudi. Inter comitatum *Aſtenſem* verò & *Mediolanenſe* territorium mediat *Montisferrati* Ducatus, cujus Princeps conſtanter, etiam in anguſtiis anni 1168, adhæſit Imp. *Friderico*: Joan. Sarisber. *Epiſt. 234. ad Bartholom. Exonienſem. Ep.* Ideò magis reor, pœnitentem *Petrum* potiùs fuiſſe *Dominum* caſtri *Verrua*, quàm merum *caſtellanum*, ſive alieno nomine militaris præſidii præfectum, & ut *Pancirol.* loc. cit. ſcribit, caſtri *cuſtodem ac gubernatorem*; tum quia in cap. 3. id feciſſe dicitur *pro SUA libertate*, non pro *alienâ* vindicandâ; tum quia *Alexander III* ei titulum *nobilis viri* tribuit, qui ſaltem Comitem, aut ſupparem comiti Dynaſtam, repoſcit. Vaſallus interim Mediolanenſis fuiſſe potuit. Quòd verò *Hoſtienſis* tradiderit, *Verrucam* pertinere ad Epiſcopum *Vercellenſem*, intellige hoc de ejus tempore: nempè poſtquàm expugnata fuerat *Verruca*, acquiſivit eam *Ugutio*, Vercellenſis Epiſcopus, à *Friderico I.* in paucis dilectus, ùt ſcribit Abbas Ord. Ciſterc. *Ughelli*, Italiæ ſacræ Tom. 4 pag 779, & pag. 780. *Oppida Verrucæ*, *Zumeliæ*, *Netri ac Donati acquiſivit*, *decimáſque*

*eorum*

*eorum Eccleſiæ S. Euſebii attribuit.* *Verruca* Epiſcopo *Quala*, qui an. 1170. *Ugutioni* ſucceſſit, iterum ablata eſt: ſed B. *Albertus*, Regulæ Carmelitarum conditor, ad Vercellenſem Eccleſiam à Bobienſi an. 1184 translatus *Verrucam* ei recuperavit, ùt ſcribit ex antiquis prædictæ Eccleſiæ monumentis idem *Ughelli* Tom. cit. pag. 793. *Inter ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & Imperium fideliſſimus extitit mediator; unde tam ſummus Pontifex quàm Imperator privilegio amoris ipſum ſuper alios Epiſcopos diligebant, præſertim illuſtris Imperator HENRICUS, filius invictiſſimi Cæſaris, cujus gratiam devotionis obſequiis in tantum promeruit, ut nobiliſſimum caſtrum* Verruchæ *hujus Eccleſiæ, quod tenebat, ſibi liberaliter reſtituerit.* Sed *Fridericus* II. Imp. denuò *Verrucam* ademit; recepit poſt depoſitionem ejus in concil. gen. Lugdun I. ſub *Innoc. IV* Epiſcopus *Martinus*, renuntiatus an. 1243; de quo carmen ejus ſepulchro affixum apud laudat. *Ughellum* pag. 798.

> *Cúmque diu Cæſar* Federicus *iniquus iniquè*
> Verrucæ caſtrum, *Bugellæ mœnia clara*
> *Surripuiſſet, ea Præſul, prob præmia chara,*
> *Ingenio, curâ vigili, multóque labore,*
> *Eccleſiam ſolito lætari fecit honore.*

## III. Cur *Alexander III* in hoc textu ponit: *Friderico DICTO Imperatori.* ?

℞. Quia illum *pro depoſito* tunc habuit: ſic enim hoc narrat *Epiſt.* 210 *ad Guillelmum Britonem* coævus *Joannes Sarisberienſis*, Epiſcopus Carnotenſis, qui an. 1179. Concilio Lateranenſi III interfuit, & ex eo *Spondanus* in Epitome *Baronii* pag. 939. ad an. 1168. Romanus Pontifex cùm per patientiam *Teutonicum tyrannum* (ſic iniquiſſimus ei Anglo-Gallus vocat *Fridericum*) „ diutiùs exſpectâſſet, „ ut vel ſic provocaretur ad pœnitentiam: & *ſchiſmaticus*, abutens patientiâ ejus, „ peccata peccatis adderet jugiter, *ut error in amentiam verteretur*, Vicarius Petri, „ *à Domino conſtitutus ſuper gentes & ſuper regna* (vide hinc principium ſæc. XII.) „ *Italos* & omnes, qui ei *ex causâ Imperii* religione jurisjurandi tenebantur adſtricti, „ *à fidelitate ejus abſolvit*, & *Italiam ferè totam* à facie furentis & præſentis tantâ „ felicitate & celeritate excuſſit, ut in eâ nihil habere videretur, niſi tortores, quos „ evitare non poſſet, juge ſupplicium. *Abſtulit ei etiam regiam dignitatem*, ipſumque „ anathemate condemnavit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas ab eo tempore in bellicis congreſſionibus haberet, aut de chriſtiano aliquo victoriam conſequeretur, aut alicubi quiete & pace gauderet, donec fructus pœnitentiæ condignos operaretur; in quo ſecutus eſt exemplum *Gregorii Septimi* deceſſoris ſui, „ qui *Henricum Imperatorem*, Eccleſiæ privilegia convellentem, *deponens*, in Concilio Romano ſimili ſententiâ condemnavit. &c. Hucusque *Saresberienſis*, qui proinde in ſequentibus epiſtolis 218. 224. 233. 234. 235. 236. *Fridericum* vocat *exaugustum*. Itaque reſcriptum *cap.* 3. refertur inter an. 1168, & 1. Aug. 1177, quo *Fridericus* Venetiis *Alexandro* reconciliatus eſt.

IV.

IV. Quid operata eſt hæc *Alexandri* III fulminans bulla. ?

℟. In *Germaniâ* nihil, in *Italiâ* plurimum: ſcribit enim loc. cit. Sarisberienſis: *hoc audito, Itali ab eo diſcedentes, reædificaverunt Mediolanum, ſchismaticos expulerunt, catholicos reduxerunt Epiſcopos, & Apoſtolicæ Sedi unanimiter adhæſerunt;* cum quibus & noſter *Petrus* pro ſervitio eccleſiæ ſe, ſua caſtra, ſuósque homines diſcrimini expoſuit.

## QUÆSTIONES JURIS CANONICI PUBLICI.

I. An *Summarium* hujus *cap.* rectè ſic conceptum eſt: *Ei qui modum exceſſit, conſideratis circumſtantiis arbitraria pœnitentia indicenda eſt.* ?

℟. Non putem; quia *de exceſſu in modo belligerandi* non eſt aliquid in textu: ideóque hariolabantur interpretes, exceſſum *Petri* in hoc ponentes, quòd occiderit, quos capere potuiſſet, citra belli neceſſitatem domos diruerit &c. Rectiùs hæc tribuit *Friderico* I indignanti *Pancirolus* loc. cit.

II. An ergò denegatio provocati caſtri Verrucæ *in ſubſtantia* mala fuit?

℟. *Affirm.* Cedere vi majori, ſui præſertim Domini, potiùs debuiſſet *Petrus*, quàm ſubditorum vitam & bona, temerè negando, exponere.

III. An *ſubdito Imperii* licitum eſt movere bellum contra Imperatorem *obtentu libertatis ſuæ* ?

℟. *Neg.* Nullus enim Princeps Imperii vel Status habet Jus belli *adverſùs Imperatorem.*

IV. At, inquit hìc Cardinalis *Zabarella*, celeber Canoniſta Sæc. XIV & XV, *Fridericus I. tunc non erat Imperator, vel quia intruſus, vel quia privatus Imperio* !

℟. Non fuit *intruſus*, ſed an. 1152 in concordiâ à S. R. I. Principibus electus, & an. 1155. ab *Hadriano IV* Romæ coronatus. Equidem ab *Alexandro III*, cujus *tres antipapas* ex judicio plurium Archi- & Epiſcoporum protexit, excommunicatus fuerat, ac demùm maledictus & depoſitus; ſed *excommunicatio* non ſolvit ſubjectionis vinculum, & *depoſitionis* valor nec ab Imperatore, nec à S. R. I. Principibus Electoribus, agnoſcebatur; quorum acceſſum debuiſſet exſpectare vaſallus Imperii.

V. Pergit idem Cardinalis: *ſtetit Fridericus contra Eccleſiam*, & ſic applicat ei canonem *Julianus*. 94. XI. q. 3.

℟. Inepta hæc eſt applicatio, imò contra Cardinalem. Nullum fuit *Friderico* bellum *cum Eccleſiâ*, ſed contra Rebelles Italiæ *intuitu temporalium Imperii*, eosdémque perjuros, & læſæ in gradu ſummo Majeſtatis reos *Mediolanenſes*, nullum quoque cum *Alexandro III* bellum, ſed diſſidium.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0072-5

VI. Exhibetúrne Eccleſiæ *devotio & ſervitium*, ſi propter *Papam* & *Antipapam*, à Cardinalibus electos, *bellum geratur* pro alterutro?

℞. *Neg.* Quin imò taliter electus, etiamſi putet ſe potiori jure niti, *bellum* deberet, renunciando, *impedire*, cum *S. Gregorio Nazianzeno*, Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ ſe abdicante, dicens: *ſi vobis ullo modo diſſidii cauſa ſum, Jonam Prophetam vitæ integritate non ſupero, projicite me in mare, & hæ tumultuum procellæ conquieſcent:* Neque verò *Alexander* III. claſſicum belli cecinit Italis pro defendendâ juſtitiâ ſuæ electionis, aut jurium S. Sedis.

VII. Quandonam licet ſubditis arma ſumere *pro ſervitio Eccleſiæ*?

℞. Quando hi jubent, qui jus belli habent; aliàs rebellio erit.

VIII. *Sed nunquid Papa hìc ſuſpectus eſt?* quærit Henricus *Cardinalis Hoſtienſis*, & nihil reſolvit, allegans ſolummodò *cap.* licet 6. *de elect. in fin.*

℞. Hoc *cap.* modò an. 1179. propter ſchiſma *Octaviani*, ſive *Victoris IV*, & ſuccedentium ei antipaparum providè à Conc. Lateran. III latum, nihil ſuſpicionis reflexit in *Alexandrum* III. Aliunde verò plerumque ſuſpectum eſt, quidquid *in diſcordiâ Sacerdotii cum Imperio* ex unâ alterâve parte emanat, aut geritur.

IX. Si *Summarium cap.* 3. non ſit rectè conceptum, quomodo ergò concipietur?

℞. Putem ſic: *ei, qui malum facit, errante conſcientiâ credens, ſe rectè facere, injungetur quidem, petenti ultrò, pœnitentia, ſed cum miſericordiâ, & rigoris ordinarii temperamento.*

X. An noſtri antiqui ad præſentem caſum benè adhibuerunt illud *cap.* 2. *de obſerv. jejun.* axioma: *bonarum mentium eſt ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur?*

℞. *Neg.* Tam delicatæ conſcientiæ rarò ſolent eſſe militares viri. Nobilem virum *Petrum* conſcientia, quæ non ſilet, ſua remordit, quòd reluctans Domino ſuo tanta mala cauſâſſet.

XI. An *Caſus longi* rectè hìc notârunt. 1.) *Pœnitentiæ ſunt arbitrariæ.* 2.) *Miſericorditer agendum eſt cum peccatore.* 3.) *Licitum eſt pro libertate ſuâ pugnare.* 4.) *Mitiùs agitur cum his, qui pro ſervitio Eccleſiæ peccatum incurrunt?*

℞. *Primum* tunc nondum erat pro regulâ, ſicut nunc eſt: ſed pœnitentiæ erant dandæ *ſecundùm canones*, quamvis cum temperamento diſcreti ſacerdotis. *Secundum* eſt verum, ne rigor agat peccatorem in deſperationem; hinc eſt diſcrimen inter

 *pœnam*

*pœnam* & *pœnitentiam*: *Tertium* non eſt verum *in ſubdito*, libertatem, quam Dominus non agnoſcit, prætendente, ſicut tunc rebelles Itali eas ſibi arrogârant libertates, quibuſcum ſtare non potuiſſet imperialis Majeſtas. *Quartum* verum eſt, ſi *ſervitium Eccleſiæ* non ſit *color peccati*; ſicut ſolœciſmus politicus *Friderici* I, Cardinali *Rolando* in Papam electo reſiſtentis, fuit inſolenti *Mediolano* & ei conjuratione ligatis optatus color armorum adversùs Cæſarem arreptorum.

## CASUS CANONICUS.

FORMIO, juvenis Germanus, proteſtantium quæ dicitur religionis, Metis apud mercatorem exercens mercaturam, amorem filiæfamilias catholicæ amore capit: condicunt ambo, clam fugere in Germaniam, ut ibi per majorem anni partem commorantes *à parocho quaſi-domicilii* jungantur matrimonio: inviti ſunt utrinque parentes: ſponſa ſic juncta poſt annum fit marito infidelis, ſe polluens adulterio: maritus coram ſuo Conſiſtorio convictam dimittit, & aliam ducit: illa verò reverſa Metas alteri nubit.

Q. 1. An valuerit, ſaltem *pro foro interno*, hoc matrimonium?

℞. *Neg*, propter *raptum ſeductionis*, licet *duntaxat civilem*; tum verò etiam propter *religionis Chriſtianæ diſparitatem*, quæ Gallis erat impedimentum dirimens.

Q. 2. Quid ſi puella, dum fugit, renuntiâſſet patriæ, nunquam reditura?

℞. Eſſet *ſequela raptûs ſeductivi*; & ideò à nullitate matrimonii non relevaret.

## EX JURE CIVILI.

### *Ad. Tit. XXXVII. Lib. III. Cod.*

I. In communione rerum *regulariter* nemo tenetur *manere*. l. ult. h. t. licet hoc *pacto*, etiam *jurato*, conveniſſet, aut *lege teſtatoris* indictum eſſet.

II. *Recipere* autem in eam, *ſaltem momento*, cogitur invitus, veluti cùm *rei communis ſocius*, conſocio præterito, *ſuam ſolam portionem* adhuc *indiviſam*, vendit *extraneo*. l. 1. h. t.

III. Non ſolùm rem *ex aſſe meam* vendere poſſum *cui libet*, ſed etiam

*portionem rei communis*; dummodo *ante litem conteſtatam* ſuper dividundo communi. *d. l.* 1. *l.* 3. *C. de com. rer. alien. l.* 12. *C. de donat.* Controverſia *ſolùm mota*, aut *libellus reſcriptus & intimatus* hanc libertatem non ſuffIaminant.

IV. Non valeret ſtatutum, ut quis rem ſuam, quæ aut eſt communis, aut ex urbariis dignoſcitur fuiſſe olim una emphyteuſis, *conſorti* teneretur *vendere*, *l.* 14. *C. de contrah. empt.*: valet autem, ut *conſors* oblato pretio poſſit ab emptore *retrahere*, ne in parcellas nimiùm ſubdividatur per ſuccedentes generationes.

V. Qui rem *communem* velut *totam ſuam* vendit aut oppignorat, *conſorti* non præjudicat, *l.* 2. *h. t.*

VI. Quo caſu ſocius ſibi à *præpoſteratione* caveat; cùm contra *emptorem* poſſidentem ante *vindicanda* ſit communio, quàm *actio commune dividundo* inſtituenda, *l.* 2. *h. t.*

VII. *Præpoſterationis* tamen *exceptione* non obmotâ, *libellus* actionis communi dividundo *ſubſiſtet*.

VIII. In diviſione rei communis regulæ ſunto:

a) Quæ *commodè* dividi poſſunt, dividentur, *l.* 3. *h. t.*

b) Sin verò: refert, utrum alter ſocius in re communi *majorem* habeat *partem*, utrum omnes *æquam*. Siquis *majorem*, is *rem totam* poterit capere, dato pretio minoris partis, quod impartiales æſtimabunt. *l.* 34. *ſ.* 2. *C. de donat.*

c) Si *æquam* partem, ad *licitationem* TOTIUS *indiviſi inter ſocios* recurretur: qui vicerit, rem ſolus obtinebit. *d. l.* 1. Publicæ verò licitationi rem communem ſupponere nemo cogetur, nec valebit tale ſtatutum, niſi *favore minorum*. Nonnunquam permittetur conſorti *ſubmiſſio extranei licitantis*. d. l. 3.

IX. Quem ergò locum & ordinem ſic habebit *officium adjudicationis*, de quo in *d. l.* 3., & *in* §. 5. *Inſt. de Offic. jud.*

℞. Regulariter *poſtremum*; nonnunquam verò *primum*.

## CASUS CIVILIS.

Uxor militis, abhinc ſex menſibus nupta, ſequitur ſuum virum divitem in bellum: hic, dum hoſtem mittebatur exploratum,

ictu ſclopeti occiditur: adeſt mox procus pauper miles, lucratur animum viduæ improlis, & quia exercitui indicta erat intra triduum profectio longior, adhuc ante iſtam à Sacerdote caſtrenſi copulatur huic mulieri, non credenti, ſe ex primo viro conceptum habere in utero: in fine noni menſis ab hoc conſummato matrimonio parit filiam, ſibi, nec alterutri maritorum facie ſimilem. Proximè primo viro conjuncti petunt hujus hæreditatem: petit quoque uxor pro filiâ.

Q. 1. Cujus viri reputabitur eſſe hæc filia? *Primi* divitis, an *ſecundi* pauperis?
℟. Hujus; tametſi juraret binuba, ſe illo adhuc die cognitam fuiſſe à primo, quo occidit.

Q. 2. Quidſi filium peperiſſet *primo ſimilem*?
℟. Tunc eum adſcriberem *primo*.

Q. 3. Quidſi 26. tantùm ſeptimanis à ſecundis nuptiis jam pareret prædictam filiam?
℟. Attribuerem ſimiliter primo marito.

Q. 4. Quidſi, converſo caſu, *primus* maritus fuiſſet pauper, *ſecundus* verò dives; & filius perfecti corpuſculi naſceretur die à ſecundis nuptiis 182do.
℟. Ut ad 3, niſi is ſecundo viro ſimilis eſſet.

## *Ex Jure S. R. I. publico.*

I. In plerisque originalibus aureæ bullæ *Caroli IV* Imp. Data eſt: *Sub anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione nonâ, quarto idus Januarii, Regnorum noſtrorum anno decimo, Imperii verò PRIMO.* *

* Sed in Archivo Imperii eſt annus *ſecundus*, verbo, non cifrâ, ſcriptus: etiam rectè. Regna ſua, *Romanum*, *Germanicum*, & *Italicum*, indeptus eſt *Carolus IV* an. 1346: Coronam Romanam 5. April. 1355.

II. Servavit *Carolus* Novellam 47 *cap.* 1. quâ voluit *Juſtinianus* Imp. ut inſtrumenta publica *præcipuè* notarentur *annis Imperii*, *Conſule*, *Indictione*, *menſe & die*. Conſul autem jam pridem exulaverat. Temporum notas, ut omnis æquivocatio in ſiglis abeſſet, etiam expreſſis integris verbis ſcribi præcepit: *ibid. cap.* 2. *

* Cur *Juſtinianus* non ſimul juſſerit *Annos Domini* poni, hujus rei noſter *Accurſius* hîc verbo: *primâ indictione* conjecturam hanc reddit: *ideò non dicit fortè de annis Domini ponendis, cùm pauci erant eo tempore.* Sancta ſimplicitas! Erant tunc 537, eodémque ævo *Dionyſius exiguus* annos Chriſti putare incepit.

III.

III. More *Ottonum* & ſequacium anteceſſorum diſcrevit *Carolus* annos *regnorum* ab annis *imperii.* *

* Duriùs conſtantem hunc morem cenſuravit J. P. *Ludewig* ad Proem. A. B. lit. 1. Alle dieſe Verwirrung kann ich leider niemand als dem Papſt und DEREN PFAFFEN Schuld geben: dann dieſen war daran gelegen, daß man glauben ſollte (1) die Wahl und Krönung wären ein weeſentliches Stuck eines Reichs: durch ſelbige würde ein Reich an ſeinen Regenten übergeben, (2) der Papſt gebe dem deutſchen König DAS KAISERTHUM; und könnte (3) es ihme deswegen auch widernehmen: (4) die Churfürſten dürften keinen Kaiſer erwählen, den der Papſt des Kaiſers-Throns nachgehends bey der Salbung unwürdig befinden würde: (5) der Papſt kröne den Kaiſer nicht, als des Kaiſers KIRCHEN-DIENER, ſondern als OBERHAUPT des ROEMISCHEN REICHS. (6) Wenn gleich der Kaiſer durch die Aachner Wahl Herr über Italien wäre, ſo bekäme er doch DIE OBERHERRSCHAFT UEBER DIE WELT UND CHRISTENHEIT erſt durch die Krönung des Papſts, jenes hieſe Römiſcher König, dieſes aber Kaiſer, und der oberſte Schutz der Chriſtenheit. Und was des Gezeugs mehr iſt. Sed diſcretionem *regni* Germaniæ ab Italiæ *regno*, & Romæ *imperio* non invexerunt Eccleſiaſtici. Quid enim *Regi Germaniæ* cum *Imperio Romano*, aut *regno Italiæ?* Ipſe *Ludewigius* fatetur, nil magis, quàm Regi Galliæ. Opus ergò erat Germanis quoad hoc adſcititio nexu: Factus eſt cum *Ottone M.* certè non absque Concordato. Ubi verò hujus tabulæ? Hactenùs apparuerunt nullæ: quorſum recurrimus? *Ad obſervantiam non interruptam*: hæc fert, ut electus in Regem Germaniæ & coronatus Aquisgrani ſit *ipſo jure* & *Rex Italiæ* & Rex *Romanorum*, ſed *promovendus* coronatione Romanâ in *Imperatorem*. Hoc coram *Innoc. III.* Legati Germaniæ, Archiep. Salisburg., Abbas de Salmanſweiler, & Marchio Auſtriæ recognoverunt *cap.* 34. *de elect.* hoc A. Bulla: ultra hos terminos non poſſunt neo-Publiciſtæ. Igitur ad 1.) Electio tribuit *tantùm jus ad rem*: coronatio *poſſeſſionem cum jure in re*: unde nec Papa, nec Imperator, nec Epiſcopi annos ſuos conſueverunt numerare niſi *à die ordinationis ſuæ*. Ad 2.) Præviâ Romanorum acceptatione, & juratis priùs Urbis honoribus, Papa dat conſecrando *poſſeſſionem & jus in Romano Imperio*, & ſic inveſtit dignitate Auguſti. Ad 3) Quam ei nec *ſine causâ* nec *ſolus* poteſt adimere: ſed accedet *S. R. I. Electorum* conſenſus. Ad 4). Si ſit *aperta perſonæ indignitas*, ut ſi eligeretur *fatuus*, *tyrannus*, *paganus*, *hæreticus*, *excommunicatus*, *infamis*, d. cap. 34, Concordatum cum *Ottone M.* ex jure gentium ceſſaret. Ad 5.). Papa coronat Imperatorem, non *ùt quidam eccleſiæ miniſter* coronandi, ſicut Remenſis coronat Regem Franciæ; ſed *ùt princeps populi Romani*, & Metropolitanus Romanæ Provinciæ. Ad 6.) Nullus Imperator per ſuſceptionem Romanæ coronæ fit *dominus orbis*; hæc enim veterum fabula pridem exploſa eſt: fit autem *Caput temporale totius Chriſtianitatis* juxta A. B. Et hoc ei, Eccleſiâ annuente, tribuit Papa *ùt Caput totius per orbem Eccleſiæ*. Hoc tamen ſolùm non exhaurit *ideam Imperatoris Romanorum*, de quâ aliàs. Regem *Italiæ* nullatenùs facit coronatio *Aquisgranenſis*; aliàs *Longobardica* fuiſſet ſuperflua; ſed ſolùm Regem *Germanorum* ſimul & *Romanorum*; quæ eſt dignitas *Patriciâ* major, *Imperatoriâ* minor.

IV. Ad

IV. Ad hæc *indictionis* adhibitam à *Carolo IV* notam carpit *Ludewigius*, ùt quæ ab hâc lege Imperii fundamentali abeſſe debuiſſet, ſicut *incerta nota*, ideò in multis diplomatibus omiſſa. Dolet autem innoxios Notarios (die unſchuldige Notarii, ait) usque modò adſtringi eâ per Ordinat. Notarial. *Maximiliani* I. Imp. §. 3., cùm multi eorum nequidem noverint calculare anni dati indictionem. *

* Sed viſum eſt Imperatori, in tam ſolemni inſtrumento omnes notas explicare, quibus uſa eſt ab immemoriali Imperatoria Majeſtas; in cujus venerationem Notarii quoque an. 1512 juſſi ſunt eam notam inſtrumentis ſolemnibus apponere. *Annus Chriſti natus* non eſt certior *indictione*; nam & ex hac eruitur ille, ſicut vice verſâ *indictio* ex anno Chriſti dato. Certior eſt *indictio* annis Imperii vel Regni: quot enim in his difficultates non offendunt hiſtorici & diplomatiſtæ. *Indictio* rectè poſita vel deſcripta ſemper eſt *certa*, detectio *falſæ* adminiculatur ad refutationem inſtrumenti *cap. 6. de fid. inſtrum. Nec refert*, quòd *olim* per Europam alii Cancellarii abhibuerint *Italicam*, alii *Orientalem*, alii *Conſtantinopolitanam*, alii *Cæſaream*, alii ſic dictam *Pontificiam*; ſemper enim ſolertia inveniet certum annum. Sanè annus *indictionalis* adhuc Sæc. XI. ſolus pro tempore ſciendo viſus eſt ſufficere unà cum die & menſe ſummis Pontificibus, *Joanni XVIII*, S. *Gregorio VII*, & aliis. Imò verò æra *Dionyſiana* per annos Chriſti, ùtùt devota, incertitudine laborat & in computu antiquorum perplexitatem induxit.

*Additio.* Data eſt A. B. an. 1356. 10 Jan. *indictione IX*. At *Carolus IV* eod. anno 4. idus Maji dedit ſub *indictione VIII*! apud de *Ludewig* Reliqu. MSS. Tomo XI. Num. LXIII. pag. 610. *Datum Prage anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione VIII, quinto idus Maji, regnorum noſtrorum decimo, imperii verò ſecundo.*

℞. Notarius iſte Pragenſis incepit mecum indictionem VIII *à Septembri anni* 1355.

## EX JURE FEUDALI.

I. Regula eſt: *collaterales, licet ſint ejusdem ſanguinis, nominis, & ſcuti, in feudo non ſuccedere; niſi probent, ſe quoque* à primo acquirente *deſcendere*. I. F. 1. §. 2. *Sin autem unus ex fratribus à Domino feudum acceperit, eo defuncto ſine legitimo hærede, frater ejus in feudum non ſuccedit.* *

* Hinc non ſequitur: *hæc linea mihi aguata, maſculo non relicto, extincta eſt: ergò proximus alterius lineæ aguatus ſuccedet in feudis ſic apertis*: tametſi feudum extinctæ lineæ diu fuiſſet in eâ: poteſt enim hoc illi modò adveniſſe poſt linearum diviſionem: notent hoc, qui me ſæpè deſuper conſuluerunt, pia eorum deſideria, cùm *deſcendentiam à primo acquirente* probare nequiviſſent, remittentem.

II. Hinc frater in feudo novo fratri non ſuccedit; ſed feudum pertinet ad Dominum. *II. F.* 12. Niſi facta ſit *copacto* inveſtitura. *Ibid.*

III. Quidſi duo fratres poſt mortem patris communem continuâſſent œconomiam, & alter, ſtante communione, acquiſiviſſet feudum, poſteà ſine liberis decederet?

℞. Ad ſuperſtitem non perget feudum: *fructus* autem erunt *communes*, niſi frater à communione ſecreviſſet feudum.

IV. Quid verò, ſi feudum hoc *cum equis & armis communibus*, vel *pecuniâ communi*, ab uno fratrum acquiſitum fuiſſet?

℞. Adhuc idem dicunt, *ne fortè invitus Dominus alium, quàm quem voluerit, ſibi acquirat vaſallum.* Ibid.

V. Obſtat graviter I. F. 20. in fin. *Niſi beneficium de communibus bonis fuerit emptum, vel utriusque nomine, Domino ſciente: ſi inſimul ſteterint, vel in hoſtem Regis acquiſierint.*

℞. Refer ſcientiam & taciturnitatem Domini *ad utrumque* emptionis caſum; & erit *diverſus*, non *adverſus* textus.

VI. Unde ex tribus his verſibus, quos Gloſſa ad I. F. 1. verbo *nominatim* habet:

Fit res *dotalis* nummis *dotalibus* empta:
Fitque *pupillaris* nummis res empta pupilli:
Et ne convertas, idem de *milite* credas;
Verus eſt ſolus medius.

VII. Quid ſibi volunt ulteriora verba textus: *ſi inſimul ſteterint?*

℞. Subintelligo: *in exercitu Domini*; quin cum Gloſsâ adhibeam verbum *maximè*, & requiram, ut *tunc* res feudalis empta fuerit *communi pecuniâ* vel *utriusque fratris nomine*: quare, ſi Dominus uni fratrum donâſſet feudum, hic verò fratrem ſuum in communionem ſervitii militaris recepiſſet, frater *ipſo facto* convaſallus fieret;

VIII. Sicut quoque, ſi, *communibus auxiliis* re hoſtibus ereptâ, alter fratrum à Domino inveſtitus fuiſſet; quin opus ſit *Domini ſcientiâ.*

IX. Hic textus eſt Imp. *Lotharii* II. Saxonis, & cohærere deberet

§. ulti-

§. ultimo præcedentis Tituli XIX; quin eſſet ſuper eo ſpecialis Titulus XX.

## EX JURE TREVIRENSI.

I. Per Tit. VI. §. 17. & 18. Land-Rechtes conjunx ſuperſtes in conjugis defuncti bonis immobilibus tam illatis quàm conſtante matrimonio acquiſitis *uſumfructum* ad dies vitæ habet, liberis *proprietate* ſalvâ, non ſolùm donec viduus manet, ſed etiam, ſi fiat binubus, trinubus.

II. Quod quidem, ut phraſi l. 12. §. 1. ff. *Qui & à quib. manum.* loquar, liberis *primi thori* perquàm durum eſt; cùm fortunæ ipſorum obſtet, & non rarò patres geræotragos ad inofficioſas cum juvenculà nuptias invitet; *ſed ita lex ſcripta eſt.* Ibid.

III. Ut ùt ergò aliis Germaniæ provinciis ſtatutum hoc videatur eſſe iniquum; in *Trevirenſi* tamen & *Luxemburgenſi*, tam Theologus *pro foro interno*, quàm judex fori *externi*, judicabit ſecundùm illud, donec Princeps tollat. *Can.* 3. *diſt.* 4.

---

## HISTORICUM.

CONRADUS, nobilis Baro à Ravensburg, caſtro pridem diruto infra Wirtsburgum, haud procul à *Veits-Höcheim* à dextro latere deſcendentis Mœni, dictus, *Diethonis* aulici Cæſarei, & *Adelhaidis*, primùm *Friderici I* Imp. conthoralis, dein ab eodem ob ſanguinis propinquitatem juſſu Papæ dimiſſæ, & à Cæſare ſuo dilecto *Diethoni* ceſſæ, filius legitimus, Sæculo XII trium Impp. *Friderici*, *Henrici VI*, & *Philippi Suevi* Cancellarius, *Hildeſienſis* factus Epiſcopus, obtinuit à *Cœleſtino III.* Papâ indultum hujus tenoris: *Quòdſi ad MAIOREM vocaretur forſitan dignitatem, eam ſibi liceret ASSUMERE; dum tamen nihil ei de ſtatutis canonicis obviaret.*

Poſt obitum *Gottfridi II, ab Hohenloe* Comitis, initio anni 1198 à Capitulo *poſtulatus* eſt ad *Wirceburgenſem* cathedram: *quod ubi reſcivit, HILDESHEIMENSEM eccleſiam MOX reliquit, & ad HERBIPOLENSEM ſe tranſtulit, ejúsque oppida & munitiones occupavit.* Vita *Conradi* edita ab amico quondam meo P. *Ignatio Gropp.* p. m. O.S.B. ad S. Stephanum Wirceburgi, & aliquamdiu etiam ad Scotos ibid. Priore, *Annal. Wirceburg. Tom. I, pag.* 812. Et hoc auſus eſt prædicto fretus indulto. Poſt comminationes

tiones & fulmina *Innoc. III*, novi ab an. 1198 Papæ, tandem fracta eſt *Conradi* renitentia, ut Romam pergens ſe in ſacco & corrigiâ humiliaret coram *Innocentio*, cui notus erat pridem atque amatus; à quo poſt aliquod tempus nihilominùs eccleſiæ *Wirceburgenſi* fuit præfectus, à ſicariis, propriis conſanguineis, in reditu è Cathedrali, viâ publicâ (cauſa odii variè narratur) 3. Decembr. 1202 interfectus. Cujus rei columna memorialis hodieque ſtat ante portam magnam *curiæ fratrum*, des Bruder-Hofs. Vid. *cap.* 3 & 4. *de Translat. Epiſc.* & ad ea Gonzalez; nec non laudatum *Gropp*, qui pœnitentiam ab *Innoc. III.* latronibus, Romam profectis, injunctam refert.

## QUÆSTIONES HISTORICÆ.

### I. Quo anno *Conradus* obtinuit eccleſiam *Hildeſienſem*?

℞. Biographia Wirceburg. ante annum 1189 ſcribit: *Conradus ætate maturior Imperatori oblatus eſt; à quo ob raras animi dotes, facundiam in perſuadendo, & dexteritatem in agendis, aulæ Cancellarius renuntiabatur: & DEIN Eccleſie Hildesheimenſis Epiſcopus eligebatur.* Benigniùs interpretandum eſt τό *dein*, ut nondum ſub *Friderico I*; nam ab anno 1174 *Adalogus* usque ad an. 1190, & poſt hunc *Berno* ſaltem 4. annis, tenuerunt *Hildesheimenſem* Epiſcopatum.

*Conradum* noſtrum anno 1195. menſe Octobri nondum fuiſſe *Hildeſienſem* Epiſcopum, arguo ex diplomate *Henrici VI* Imp. edito ab exactiſſimo Viro diplomatario, qui proximis retrò annis Treviros, amore videndi archivorum diplomata, aliásque antiquitates, bis inviſit, *Philippo Wilhelmo Gercken* in Cod. Diplom. Brandenburg. Tom. II. pag. 58. *Ego CONRADUS Imperialis aulæ cancellarius* (nihil hìc de Epiſcopo) *vice domini Conradi Moguntini Archiepiſcopi totius Germanie Archicancellarii Recognovi. Acta ſunt hec Anno Domini M° C° XC° quinto Indictionis XIIII. Regnante Domino Henrico Sexto Romanorum Imperatore glorioſiſſimo & Rege Sicilie. Anno regni viceſimo VI. Imperii verò Quinto. Gailinhuſen Quinto Kal. Novembris.*

Econtra *Conradum* anno 1196 inſequente jam extitiſſe *Hildeſienſem* Epiſcopum, *ſaltem electum*, claret ex reſcripto *Henrici VI* ad cives *Hildesheimenſes* d. d *Frankenfordii Idibus Februarii* anno MCXCV (nempè à 25 Martii ad eundem terminum currente, dum à Januario jam ſcribebatur annus 1196) *Indict VII*, quam corrige per XIIII. ibi: *Et dilectus Princeps noſter Conradus Hildeſch. Epiſcopus per ſuam nobis querimoniam patefecit.* Ioſ. *Hartzheim* Concilior. German. Tom. III. pag. 459.

Ipſe verò *Conradus* dicto anno 1196. 7. Martii ſe diplomati *Henrici* VI ſubſcripſit Hildesheimenſem Electum. *Ego* CONRADUS *Hildesheimenſis* ELECTUS, *imperialis aulæ cancellarius, recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCVI indictione* XIIII, *regnante Domino Henrico VI Romanorum Imperatore, anno regni ejus XXV, imperii verò V, & regni Siciliæ. Datum apud Gulenhauſen pridie Nonas Martii.* Lünig Tom. II. Cod. German. dipl. pag. 1067. Atque ita adhuc 4. April. 1196. ibid. pag. 1163. *Ego* CONRADUS *Hildeshemenſis* ELECTUS, *imperialis aulæ Cancellarius, vice Conradi Moguntinæ Sedis Archiepiſcopi & totius Germaniæ archicancellarii, recognovi Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis* MCXC (omiſſum eſt VI) *Indictione* XIIII, *regnante*

*Dño Henrico VI Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni Siciliæ ſecundo. Datum apud Geilenhuſen II. Non. April.* Imò adhucdum 10. Jun. an 1196. Lünig Spicil. eccleſ. Cont. 3. pag. 1297 in tranſactione *Henrici VI* cum Epiſcopo Wormatienſi. *Acta ſunt hæc imperante Domino Heinrico invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto & Rege Siciliæ. Anno Regni ejus XXVI. Imperii verò V, Regni verò Siciliæ ſecundo. Anno Dominicæ Incarnationis MCXCVI. indictione XIIII. Ego CUNRADUS Hildenſchemenſis ELECTUS vice Domini Conradi Moguntini Archiepiſcopi & totius Germaniæ Archicancellarii, recognovi. Datum apud Wormat. IIII. Idus Junii.*

Anno 1197 Conradus ſubſcripſit ſe *Epiſcopum*, i. e. confirmatum & conſecratum ad eccleſiam Hildesheimenſem. *Gercken* loc. cit. pag. 67. *Ego Conradus HILDENSEMENSIS EPISCOPUS, imperialis aulæ cancellarius, unà cum Dño Gualdo Trojano Epiſcopo & regni Siciliæ Cancellario, recognovi. Acta ſunt hec anno dominice incarnationis M°. C°. XC° ſeptimo, indictione quintâ decimâ, regnante Dño Heinrico VI. Romanorum imperatore glorioſiſſimo, anno regni ejus XXVIII. imperii verò VII. & regni Sicilie III. Datum Linaria V. Kal. Auguſti.* Linaria eſt inſula Sardiniæ, Herculis inſula.

*Corollarium* 1. Erat igitur jam initio anni 1196 *Conradus* in Hildeſienſem Epiſcopum electus.

*Corollarium* 2. Nec ſuffragandum illis Epiſcoporum Hildesheimenſium catalogis, qui *Bernonis* Epiſcopatum protrahunt ad annum 1198. * Quomodo enim *Conradus* ſic à *Cæleſtino* III obtinere potuiſſet ſupra adductam gratiam, ut ſi ad majorem vocaretur dignitatem, liceret ſibi eam aſſumere; cùm *Cæleſtinus* III. jam octavâ Januarii 1198 obierit, & mox ei ſucceſſerit *Innocentius* III?

* Ita præter alios Catalogus apud Lünig Spicil. Eccleſ Cont. 1. pag. 538. *Bernonis* Hildeshi regimen producit in annum 1198, & poſt hoc de *Conrado* ſic habet; „ Conradus, *Philippi* Regis Romanorum Cancellarius, Epiſcopus *Lubecenſis*, eâdem diœceſi „ deſertâ, cum *Friderico Barbaroſſâ* in Armeniam proficiſcitur, redux *Hildèſimenſi* præ- „ ficitur eccleſiæ, ſed eam *poſt annum reſignans* fit Epiſcopus *Hèrbipolenſis anno Chr.* MCXCIX.

## II. Quo igitur anno *Conradus* à *Cæleſtino* III. obtinuit dictum indultum?

℞. Laudata vita *Conradi* refert, eum anno 1191 profectum eſſe Romam in comitatu *Henrici VI*, à *Cæleſtino* III coronandi: & hâc occaſione, inquit, *creditur obtinuiſſe à Papâ indultum* &c. Sed tunc nondum erat Hildesheimenſis Epiſcopus. Veroſimilius eſt, quòd circa an. 1197; quando alterâ vice profectus eſt, & quidem loco Cæſaris infirmati, tanquam dux militiæ ſacræ, in Palæſtinam.

## III. Quo anno *Conradus* dimiſit *Hildèſienſem* Eccleſiam, & acceſſit ad *Herbipolenſem*, inſalutato Pàpâ?

℞. Certè non ante obitum *Henrici* VI, tunc enim *Conradus* detinebatur cum exercitu 60000 militum in expeditione ſacrâ, quò propter infirmitatem ipſe Imperator pergere non potuit, ideóque *Conradum* ſuum Cancellarium, militiæ præfecit, in quo munere ſtetit, donec nuncium mortui Imperatoris accepit. Quo autem

anno

anno hic obierit in Siciliâ, hiſtorici non concordant: alii an. 1197, alii 1198. ſcribunt. Sequor eos, qui poſt *Ottonem de S. Blaſio* cap. 45. deceſſiſſe memorant an. 1197. 4 Kal. Octobris i. e. 28 Septembr. In *Wirceburgenſi* cathedrâ deceſſerat *Gottfridus* II Comes ab *Hohenlöe*, quem alii *electum* duntaxat, alii *conſecratum* fuiſſe volunt, primis anni 1198 menſibus: *Philippus Suevus* pro *Conrado*, ſuo conſanguineo, Capitulum *Wirceburgenſe* ſollicitavit, & quod in electione dicti *Gottefridi* obtinere non potuit frater ejus Imp. *Henricus VI*, obtinuit ipſe, nempè unanimia vota: unde jam *Philippus* 29 Junii an. 1198 *Conradum* nominat *Epiſcopum Wirceburgenſem* in fœdere, quod iniit cum *Philippo* II ſive *Auguſto*, Galliæ Rege, apud Lünig Reichs-Archiv part. general. Contin. 2. pag. 142. ubi, *id etiam mandato noſtro dilecti Principes noſtri*, CONRADUS *WIRCENBURG.*, *B.* (lege Bertramnus) *Metenſis*, *Othieln. Conſtantienſes Epiſcopi juraverunt: Datum Wormatiæ tertio Kalendas Julii anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo octavo*, *REGNI noſtri PRIMO*, *per manum Conradi imperialis aulæ protonotarii.* Imò verò ipſe *Conradus* brevi poſt, ſi non priùs, in literis ad *Innocentium* III datis ſe appellavit *Epiſcopum Herbipolenſem*; neque enim duos Epiſcopatus ſimul retinere affectaverat. *Epiſtol. Innoc ad Conradum* apud *Gonzalez* in cap. 3. de Transl. Epiſc. pag. 355. *Cùm in literis ad nos directis, quas adhuc apud nos in teſtimonium reſervamus*, *HERBIPOLENSEM te præſumpſeris EPISCOPUM appellare.* Et infra: *ſi apud nos deſideras gratiam invenire mandatum ſtudeas Apoſtolicum adimplere*, *NON REDIENS ad HILDESIENSEM Eccleſiam, & ab HERBIPOLENSI RECEDENS.* Adde aliam epiſt. apud Lünig Spicil. eccleſ. Cont. 2. pag. 699, col. 1. Quî verò, *ais*, hæc concordant cum diplomate *Philippi Suevi* pro cathedrali Bremenſi apud Lünig Tom. I. Spicileg. eccleſ. in append. pag. 109? *Ego* CONRADUS *Hildenſehemenſis* EPISCOPUS, *Wirziburgenſis* ELECTUS, *& imperialis aulæ Cancellarius, recognovi. Acta ſunt hæc anno ab incarnatione Domini MCXCIX, indictione III, regnante Domino* PHILIPPO *II Romanorum, anno regni ejus* SECUNDO. *Datum apud* HILDESHEIM *XIIII Kal. Februarii.* Sanè *indictio III*, & *Philippi*, anno 1198. 5. April. in octavâ Paſchæ Moguntiæ ab Archiep. Tarentaſienſi coronati, *annus ſecundus* volunt *Januarium anni* 1200, ab ejus Kalendis incepti, docente nos authore libri *L' Art de verifier les dates*, pag. 445, quòd hæc ſit epocha regni *Philippi* in omnibus ejus chartis.

℟. *Conradus*, ùtùt obſtinatus, tamen per fulgura vaticana anni 1198 & 99 ita redactus eſt in anguſtias, ut certius pro incerto ſervaturus, reverteretur ad Epiſcopatum *Hildeſienſem*, hujus ſe nominans *Epiſcopum*, & Wirceburgenſem duntaxat *electum*: neque enim aderat canon, quòd Epiſcopus, celebriorem cathedram ambiens, eſſet præhabitâ *ipſo facto tranſitûs* privatus; *can.* 31. *VII. q.* 1., ex quo *Innoc.* III. in *cap.* 3. *de transl.* ſuum dictum ſumſit: *cùm ſecundùm traditiones canonicas, qui ad majorem ſe plebem tranſtulerit, à cathedrâ repelli debeat alienâ, & carere propriâ, ut nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit.* Hoc factum reditûs ad Epiſcopatum Hildeſienſem incuſat fons *cap.* 4. d. t. ſive epiſt. *Innoc.* III. ad Epiſcopum *Bambergenſem* apud Gonzalez: *Quin eò fortiùs in ſuâ pertinaciâ perduraret, quò ampliùs nos videbat de ſuâ correctione ſollicitos; cùm poſtquàm alius* (ſcil. Harbertus) *de mandato noſtro fuit in Epiſ-*

*copum Hildesbemenſem electus & etiam confirmatus, ſe ipſe præſumpſerit* HILDESEMENSEM *Epiſcopum nominare, & electum ipſum, & eccleſiam per ſuos fecerit multipliciter moleſtari.* Hæc epiſtola dabatur *VII. Kal. Februar.* anni 1199 ſtylo Romano, ſed noſtro computu an. 1200 inde à Jan. in cujus die 19. *Conradus* adhuc datavit *Hildesbemii* : & ſic Data *cap.* 3. ad Bambergenſem erat XII. Kal. Sept. ſive 21. Aug. an. 1199: Cúmque *Conradus* ad hujus *cap.* 3. comminationem parere noluiſſet, poſt fulgura ſecutum eſt fulmen: *Innoc.* III. eum Romæ *in feſto Principis Apoſtolorum proximè præterito* i. e. Cathedræ S. Petri Romanæ 18. Jan. an. 1200 inter Miſſarum ſolemnia publicè nunciavit excommunicatum.

IV. Ad quem annum referetur Epiſtola Innoc. III. ad *Ludolphum* Magdeburgenſem, de quâ cap. 5. de *Cler. excom.* & habet per extenſum Lünig Spic. eccl. Cont. 2. pag. 700.

℞. Non ad an. 1199, ſed 1200; quia *Innoc.* III in eâ mandat, ut *Conradum* à ſe Romæ excommunicatum publicè denunciet.

V. Quo anno *Hildesbeimenſe* Capitulum proceſſit ad novi Epiſcopi electionem?

℞. Anno 1199, per ſecundas literas *Innoc.* III ſub datâ *Laterani II Nonas Maji* excitatum; primas Papæ literas Capitulum non eſt auſum exequi; quia *Conradus* ei ſcripſit, quòd literas illas arguerit falſitatis, ab æmulorum ſuorum invidiâ impetratas, comminatus, *quòd alioquin omnes eccleſiæ reditus in tantum diſtraberet, quòd ſucceſſor ipſius nec epiſcopalem habere poterit ſuſtentationem, nec Epiſcopus nominari.* Lünig loc. cit. pag. 701. Electus eſt *Heribertus* Præpoſitus Hildeſienſis, ſed anno adhuc 1200 à Comitibus & miniſterialibus *Conrado* adhærentibus multipliciter infeſtatus, quo *Innoc.* III. dedit.

VI. An in hâc hiſtoriâ odium *Innoc.* III. in *Conradum* ſubfuit, eò quòd iſte partes ſequeretur *Philippi Suevi*, quem *Innoc.* III nolebat Imperatorem, alióſque Principes ſollicitaverit, ut illi adhærerent?

℞. Sic quidem ſcribit *Laurentius Fries* in vitâ *Conradi*: ſed ex totâ hiſtoriâ apparet contrarium, quòd *Innoc.* nempè illum ſincerè dilexerit in Papatu, ſicut priùs in minoribus conſtitutus: quòd modis omnibus ſtuduerit eum ad ſaniora reducere, quòd reſervaverit illi Herbipolenſem Epiſcopatum, eum ad ſatisfaciendum pro injuriâ velut invitaverit; humiliatum ſine præviâ pœnitentiâ canonicâ erexerit, demúmque deſideratum illi epiſcopatum cum muneribus largitus fuerit, quin ei conditionem deſerendi *Philippi* poſuerit.

## QUÆSTIONES CANONICÆ.

I. Quid intererat inter prædictum *indultum Cæleſtini III*, & hodiernum *breve eligibilitatis*, quæ gratia Apoſtolica ſolet dari nonnullis Epiſcopis?

℞. In-

℞. Indultum *Cœleſtini* erat *forma extraordinaria*, cui ſimilem nec ante nec poſt Cœleſtinum reperies, ob ſingularia *Conradi* merita in Eccleſiam, ut qui duabus Cruciatis interfuit, & inclyti Ordinis militaris Teutonici inſtitutionem viriliter promovit; vi ac poteſtate verborum; *liceat ſibi eam aſſumere*, vocatus ad *majorem* eccleſiam *tranſire* potuiſſet, quin *translatione* indiguiſſet, ſicut indiget Epiſcopus habens *Breve eligibilitatis*, ſalvo tamen proceſſu cognitionis ſuper ipsâ vocatione & vocati idoneitate, coram Papâ inſtruendo, cujus ſolùm declaratione opus fuiſſet.

II. An *Conradus* poſtulari ad *majorem* eccleſiam debuiſſet?

℞. *Affirm.* Quia, dum vocabatur, alligatus erat uxori ſpirituali; conſequenter, ſi ejus vocatio concurriſſet cum alterius *electione*, vota majora non ſuffeciſſent ei, ſicut ſufficiunt habenti *Breve eligibilitatis*.

III. An hæc indulti forma ſerviit *Conrado* pro indipiſcendâ Cathedrâ *Herbipolenſi*?

℞. Nullo modo: quia hæc non *major* eſt, ſed ei *par* Hildeſienſis. Unde totum hoc negotium *ſine conſilio* geſtum eſt, & *cum juris errore*, ob non intellectam vim indulti, quo ſolo putabatur confecta res eſſe.

I. O. H. D.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0086-3

Kr 3497

(+225 8755)

VD18

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0087-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0088-5

DIE 8. MARTII ANNO MDCCLXXVI.
Horâ 9nâ
AUDITORIO JURIDICO COLLEGII Ss. TRINITATIS.

# EXERCITIUM JURIDICUM

ENTAMINI PRO GRADIBUS PRÆMITTENDUM
PROPOSITIS EX VARIO JURE THESIBUS,
AC PRÆMISSA RESOLUTIONE
OCTO QUÆSTIONUM,
SUPER TRIUM COLORUM INDICTIONIBUS
ANTIQUISSIMÆ TABULÆ MP ET STÆ
2. Decembris an. 1774 ibid. propoſitarum,
NEC NON
LIIS INSTRUCTIONIBUS DE NOTIS TEMPORUM AN-
TIQUIS IN ADMINICULUM ARTIS DIPLOMATICÆ,
QUOD
PRÆSIDE ME

EORGIO CHRISTOPH. NELLER

D. ad Ss. Theolog. Doctoratum admiſſo, Ss. Canonum Pro-
e ordinario, Facultatis juridicæ Seniore, inſignis Eccleſiæ col-
e ad S. SIMEONEM Canonico inter presbyteros capitulari, & Bi-
ecario, Rmi & Srmi Domini Archiepiſcopi Trevir. S. R. I.
Principis Electoris Conſiliario intimo, & Examinatore
ſynodali &c.

SUBIBIT

*Nobilis, Ornatiſſimus, ac perquàm Eruditus*

CHRISTOPHORUS HAW, Trevir, AA. LL.
x. Philoſ. Magiſter, prædictorum jurium in
tertio anno conſtitutus Auditor.

*Auguſtæ Trevirorum*, typis ESCHERMANNIANIS.

25. 26

25

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-789737-p0089-3